





*Martini Andrea  
Schatzianis.*

*MA* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*IC 140.*

SIGNAT. ciIoIoCCCXIII.



EPITOME  
EXPOSITI  
TIONIS CATECHIS  
MI D. PHILIPPI MELANTH,  
RELATA AD INTERRO-  
GATIONES ET RE-  
SPONSIONES,

*VT VERE SIT ID*  
quod dicitur CATECHESIS: cui addita est  
expositio symboli, & orationis dominicæ,  
ut nihil, quod ad iustam formam Ca-  
techismi pertinere uideatur,  
desiderari possit,

Ab Alexandro Alesio,  
S. Theologiæ Doct.

*Iam denuo recognita, multisq; in locis aucta,  
unà cum Præfatione ab ipso  
Authore addita.*

FRANCOFORTI AD VIADRUM  
ex officina Ioannis Eichorn.

M. D. LI.



# ALEXANDER ALESIVS

S. THEOLOGIAE DOCTOR, IN-  
geniis, bonæq; spei pueris Modestino, Christo-  
phoro, & Abrahamo Magnifici uiri, Do-  
mini Doct. Ludouici Fachsij, consu-  
lis & ordinarij, in urbe Li-  
psica &c. filijs,

S. P. D.

**D**VÆ SVNT causæ, propter  
quas hanc epitomen ex-  
positionis Catechismi, ad  
uos mittere uoluerim, cha-  
rissimí pueri. Prima, quòd multum  
debeam Magnifico, & ornatissimo  
uiro, patri uestro, qui me & uenien-  
tem huc primùm humanissimè exce-  
pit, nomineq; illustrissimi Principis  
nostri, Ducis Mauritiij Saxoniae Ele-  
ctoris &c. ad præstandam meam ope-  
ram huic celebri Academia inuita-  
uit, & post aliquot annos aliò uocatū  
hîc retinuit, pollicitus fauorem & gra-  
tiam illustris. Principis electoris do-  
mini mei clementissimi. Post bellum  
deniq; dubitantem me animauit, ut  
ad Electorem scriberem, peteremq;

A 2 restituis

restitutionem librorum meorum, &  
aliarum rerum, quas tempore obsidio-  
nis huius urbis amiseram, benigne of-  
ferens studiū operamq̄ suam in red-  
dendis principi supplicibus literis, in  
quo tantum effecit, ut Elector ex pro-  
uincia ad Imperij comitia discedens,  
consiliarijs suis, quos domi relique-  
rat, ea de re scriberet, easq̄ literas ple-  
nas clementiæ per D. Damianum à  
Sybothendorff à secretis Celsitudinis  
suæ, in aula reddendas ad me mitte-  
ret. Hæc inquam, & multa alia bene-  
ficia Clarissimi parentis uestri, cum  
considero, agnosco pro ijs multū me  
Magnificentia illius debere. Cogi-  
tanti itaq̄ mihi, qua ratione aliquam  
grati animi significationem ederem,  
priusquam hinc emigrem, uel ex hac  
uita euocer, (Scripsi enim hæc in ma-  
gna uiscerum imbecillitate, uiriumq̄  
omnium prostratione, adeoq̄ uen-  
triculi ἀπεψία, & torminibus ac leuita-  
te ἡμῶν ἀπὸ δισπύων) putauī nulla id re  
alia commodius me præstare, quam  
si uos

si uos in quibus omnes potissima cura atque cogitationes clarissimi parentis uestri consumuntur, ad pietatem et uirtutem inuitarem, & simul obseruantiam erga ipsum, & in uos amorem meum testarer. Neque enim quicquam puto a me proficisci posse gratius ei, aut acceptum magis, quam ut uos in illo pulcherrimo cursu ad optima quaeque contendentes, quasi acclamatione & uoce mea in proposito confirmem, & ad alacriter pergendum cohorter: quod ipsum quoque diligenter facere bonum & doctum uirum M. Maximum preceptorem uestrum scio. Etsi autem pleraque in manibus haberem, quae ni fallor, prodesset extare, tamen inter chartas meas nihil occurrebat, quod magis huic uestrae aetati conducere, aptumque esset, quam epitome Catechismi. Cum enim hoc tempore extent certamina de uarijs expositionibus illius, & capitum, ac primorum (ut uocant) principiorum doctrinae pietatis: multum refert pue-

ros statim in prima ætate bene insti-  
tuti, & in uera sententia confirmari.  
Rectè enim philosophus dixit, cuius  
sententiam poëta complexus est,  
quamq; uos semper in animo habere  
puto: adeo in teneris cõsuescere mul-  
tum est, & meministis illud alterius:  
Quo semel est imbuta recens serua-  
bit odorem testa diu. Sed quamuis  
hæc uerè, & in genere de omnibus  
honestis disciplinis dicantur, audia-  
mus tamen uocem diuini uaticanen-  
tis psal. 78. Et narrabunt ea filiis suis,  
ut ponant in deo spem suam, & quæ  
sequuntur. Quare cum summopere  
sit necessarium, ut & uos & alij, qui  
literarum studijs excoluntur, de Deo  
& capitibus doctrinæ Christianæ, re-  
ctas uerasq; opiniones imbibatis, quo  
adulti, & ad Ecclesiæ atq; reipub. ad-  
ministrationem aliquando acceden-  
tes uestris ipsi oculis, non tantum alie-  
nis uideri, & de grauibus controuer-  
sijs, in doctrina Christiana iudicare  
possitis: uobis hoc opusculum mit-  
tendum



tendum dedicandumq; esse censui.  
In eo autem per omnia penè secutus  
sum ( neq; enim pudet me sequi tan-  
tum uirum, quem propter pietatem,  
uirtutem, & eruditionem summam,  
ut præceptorem perpetuò agnosco,  
amo & ueneror ) methodum libelli,  
quo D. Philippus Melanthon eadem  
capita eruditissimè explicuit, nisi qd  
enarrationem symboli, & precationis  
dominicæ, quæ in ea desiderabatur,  
addidi: præscidi etiam pauca quæ-  
dam, quæ difficiliora uidebantur,  
quàm ut à pueris possent intelligi, ut  
de re ditibus, usuris, & eo quod inter-  
est, &c. Et hæc quidem altera est insti-  
tuti mei ratio, atq; causa. Existimo. n.  
uos & ingenium patris uestri referre,  
& comparare uobis uelle similem eru-  
ditionem, ac imitari studium eius in  
promouenda doctrina pietatis, ut sitis  
honoris generi atq; familiæ uestræ, &  
usui reipub. ac quod omnium est po-  
tissimū, membra uera ecclesiæ Chri-  
sti. Quantum autem decus sit patriæ

A 4                      suæ

sux clarissimus uir pater uester, &  
huic reipub. imò toti prouinciæ, non  
solum ciues, sed etiam exteri norunt.  
Quin & Cæsareæ, Regiæq; Maiesta-  
tis, & multorum principum aulæ, sa-  
pientiam, prudentiamq; eius cogni-  
tam habent. Et quamuis eximia scien-  
tia iuris sit ei magno ornamento, &  
propter hanc à principibus, & poten-  
tibus meriti honores, & ampla præ-  
mia ipsi deferantur, tamen hoc ei mul-  
to maiori ornamento fuerit, & apud  
omnes bonos æternam laudem, &  
apud Deum ampliora præmia para-  
bit, si suam autoritatem & consilia cō-  
ferat ad conseruandam puritatem  
doctrinæ Euangelij, & pacifi-  
cationem rerum publi-  
carum. Id quod cum  
facere existimo,  
& ut semper faciat,  
Deum oro. Bene ualete.

Præfatio

## PRÆFATIO.

**P**RIMO dicendum est, unde sit Catechesis, & de perpetuo ordine eius doctrinæ in Ecclesia, post Apostolos, deinde de utilitate ipsius. Etsi autem Catechesis sit prima pars doctrinæ, de qua Christus sæpe in Euangelio præcipit, sicut monstrant hæc & similes sententiæ, Docete omnes gentes, Prædicate Euangelium omni creaturæ, & idem formam ac materiam Catechismi complexus sit brevissimè, dicens: Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo: Tamen Paulus in altera epist. ad Timotheum bis discernit puerilem institutionem à doctrina totius Ecclesiæ, Tu, inquit, affecutus es meam doctrinam & institutionem. Item omnis scriptura utilis ad doctrinam & παιδείαν, & in Galatis proprio nomine uocat Catechesin, & præcipit, ut κατηχούμενος τὸν λόγον τοῦ κατηχῶντι communicet in omnibus bonis, Et in Corinthiis iubet pueris proponi lac, & adultis solidum cibum. Differunt igitur hæc duo, doctrina & institutio, ut exemplo pueris noto utar, Sicut

A 5 maior

maior & minor Catechismus. Et quid aliud  
sunt conciones Christi, & epistolæ Pauli,  
quàm maior Catechismus? Christus primo ex-  
ponit legem apud Matthæum capite 5. 6. & 7.  
Magna pars aliarum concionum Christi con-  
sumitur in expositione promissionis Euangelij,  
tradit etiam formam precationis Matthæi 6.  
Paulus ad hunc modum in Romanis & Galatis  
primo tradit discrimen legis & Euangelij, ac  
docet quomodo Euangelium exponat præcepta  
primæ tabulæ, de fide in patrem Domini nostri  
Iesu Christi, & de fiducia gratuita misericor-  
diæ propositæ per ipsum, de uera inuocatione in  
nomine ipsius, et de cceremonijs noui Testamen-  
ti. Deinde exponit præcepta alterius tabulæ de  
actionibus uirtutum in fide factis. Congerit  
alicubi articulos symboli, ut 1. Corinth. 15. in  
principio capitis, & in fine tertij capitis prioris  
ad Timotheum. In exordijs & fine epistolarũ  
communiter exponit petitiones orationis do-  
minicæ, Sed ut ad rem propius. Constat ex hi-  
storijs hanc doctrinam catechisticam à tempo-  
re Apostolorum obseruatam esse in Ecclesia.  
Eusebius ordinem eorum, qui præfuerunt Cate-  
chumenis

chumenis apud Alexandriam describit Eccle-  
siastica histo. lib. 6. cap. 3. unde & uidens De-  
metrius Episcopus, quod ad Originem doctri-  
nae gratia multi conuolarent, catechisandi ei, id  
est, docendi magisterium in Ecclesia tribuit,  
quod primus post Apostolos apud Alexandria  
Pantenus, secundus per ordinem Clemens, ter-  
tius administravit Origenes, ipsius Clementis  
discipulus.

### De Panteno uerba Clementis.

Clemens in primo *σημείων* de Panteno,  
Et ille quidem diuinæ doctrinae ueritatem, quæ  
sibi ab ipsis statim primis auditoribus, Petro &  
Iacobo, & Ioanne, & Paulo, sanctis Apostolis  
tradita fuerat, mihi tanquam filio commenda-  
uit. Eusebius cap. 19. libri 6. Interea decimus  
erat annus Alexandri Imperatoris, in quo Ori-  
genes ex Alexandria profugus, Cæsaream ue-  
nerat, Heraclæ uni ex discipulis probatissimo  
Catecheseos auditoriū derelinquens, Et 22. cap.  
Apud Alexandriam uerò, cum Heraclas Deme-  
trio successisset, auditorium catecheseos, quod  
ab Origene susceptum tenuerat, Dionysio tra-  
didit, eò, quod ipse unus ex discipulis esset Ori-  
genis,

genis, Viuente Dionysio floruit Cyprianus, qui de Catechumenis lib. 2. scribit ad Quirinum, Catechumenum non debere peccare spe ueniæ in baptismo, Et ad Iubaianum, quo in loco inquit, Quidam Catechumenos nobis opponunt, si quis ex eis, priusquam baptisetur in confessione nominis apprehensus fuerit et occisus &c.

Tertullianus in sermone de pœnitentia hortatur Catechumenos, ne differant baptismum hac persuasione, ut securi indulgeant peccatis, ante baptismum. II. Homelia Chrysostomi inscribitur Catechesis ad illuminandos, & sic incipit, Prius dictorum apud charitatem uestram, fructus à uobis repetiturus aduenio. B. Augustinus librum scripsit de catechisandis rudibus. Sed nihil opus est congerere multa testimonia, cum omnes propemodum interpretes exposuerint illa uerba Pauli, cur quidam baptisantur pro mortuis de catechumenis, qui baptismum usq; ad mortem neglexerunt, uel impendente morte primùm baptisabantur. Et constat Constantinum Magnum, & alios multos Catechumenos distulisse baptismum, usq; ad mortem.

Dixi iam unde sit Catechesis, nunc de eius usu

usu & utilitate pauca addam. Principio autem  
reperenda est communis querela, quam non si-  
ne graui dolore commemoro, multos esse, qui  
cum de catechismi quæstionibus interrogantur,  
fremant, & putent indignum fore, ut hæc pue-  
rilia præcepta, uel ut eorum uerbis dicam. **Die**  
**Schützerey**, exigantur à studiosis bonarum ar-  
tium. Ad quod nihil durius respondebo, sed tan-  
tum hoc rogabo eos, an putent indignum esse  
Christianæ iuuentuti, ut hæc elementa pietatis  
teneant? Chrysostomus in sermone quodam  
exprobrat Christianis ignauiam in discendis  
sacris literis, & inter alia sic ait: Neminem esse  
coriarium aut sartorem, aut fabrum, qui non te-  
neat præcepta suæ artis, multos autem inueniri  
inter Christianos, qui ignorant illa, propter  
quæ dicuntur Christiani. Sed satis est, inquit,  
semel didicisse catechismum, & nemo est hoc  
tempore, qui non discit hæc elementa pietatis  
ante bonas artes? Respondeo, hoc ut maximè  
uerè dici uelim, ita ne uerè dicatur ualde metuo,  
ac nimis multa sunt argumenta, plerosq; nihil  
minus didicisse, quam catechesin, etiamsi sæpe  
se hanc audiuisse gloriantur, nisi forsitan is di-  
cendus

cedendus sit didicisse libellum, de quo uix unum  
aut alterum uerbum intelligat, aut recitare pos-  
sit. Hoc non est discere, sed dediscere, & sci-  
psum deridendum exponere. Si quis enim affir-  
maret se didicisse Terentium, Virgilium, aut  
Ciceronem, & interrogatus nihil sciret re-  
spondere, an non risu & cachinno exciperetur  
ab omnibus? Facilis, inquit, res est, discere cate-  
chismum, & quilibet per se sine præceptore id  
intelligit, nec opus est toties repetere in schola,  
aut horam singulis septimis huic audiendo dare.  
Respondeo: Etsi hunc, qui nihil opus habet do-  
ctrina catechistica placari posse confidam, si  
dicam non propter eruditos hanc prælegi, sed  
propter pueros, qui ut quotidie nascuntur, ita  
adolescunt & adhibentur indies ad discenda  
hæc prima elementa pietatis, ut quoties in hac  
schola repetitur catechesis, toties nouas facies  
uideas inter auditores. Tamen recitabo q̄ bonæ  
memoriæ D. Martinus huic puerili obiectioni  
puero, & quidem suo filio respondit, Interro-  
gatus. n. puer à patre, quid didicisset: respondit  
se edidicisse iam totum catechismū, cui subri-  
dens pater ait: Multum p̄fecto est, mi fili, quod  
didicisti.



didicisti, nam ego per totam uitā legendo, scri-  
bendo, docendo, meditando tantum non promo-  
ui, ut ausim affirmare me didicisse uel unū præ-  
ceptum legis, uel unum articulū symboli, aut pe-  
titionē precatōnis dominicæ, Significans opus  
esse continua & perpetua per omnem uitam co-  
gitatione, lectione, studio & doctrina ad intel-  
ligenda hæc elementa pietatis, nec posse ullam  
partem huius diuinæ sapientiæ in hac uita ex-  
hauriri, aut à nobis perfectè intelligi. Est .n. de-  
calogus illa diuinæ mentis imago & similitudo,  
ad quam homo dicitur creatus fuisse in perfecta  
sapientia & iusticia spiritali, ac intellexissent  
homines legem dei de spiritali obediētia, eamq;  
præstitissent Deo, si natura mansisset integra.  
Nunc in hac caligine, quæ secuta est corruptio-  
nem, nec quidem legem spiritalē esse intelli-  
gunt, tantū abest, ut ex eius obseruatione coram  
deo gloriari poterunt de iusticia, Sed tamen ad-  
moniti ex Euāgelio uident et dolent, quā pro-  
cul absint ab illa perfectione, in qua condita est  
natura, & in quam horribiles tenebras & extre-  
mam miseriam demersi sunt, nec posse emergere,  
nisi confugiant ad filium Dei, factum uictimam  
pro

pro peccato, in quem confidentes accipiunt spiritum sanctum, qui efficit, ut rursus aperiantur eis oculi mentis, ut cernant ueram sententiam legis, & addit uires, ut hanc aliqua ex parte prestare possint. Et si propter reliquam in natura corruptionem impossibile sit legi satisfacere etiam pios & sanctos. Hæc de prima parte catecheseos, & de utilitate cognitionis legis, nunc de symbolo aliquid addam. Cum autem lex ipsa neque ab humana ratione satis intelligi, neque humanis uiribus impleri possit, tamen est secundum naturam, & rectæ rationi consentanea. Natura enim ad optima deprecatur, ut ex Aristotele alligari solet, Et quemadmodum Plato ait: Sunt in animis quædam semina uirtutum, quæ si adulescere liceret, ad beatam uitam nos perducerent, et nisi ratio impediretur à concupiscentia & deprauatione uoluntatis. Sed in altera parte Catechismi maior est difficultas & impossibilitas etiã eam intelligendi per rationem. Nam ratio, quæ ut cunq; intelligit legem, & ei assentitur, contradicit fidei, & eam iudicat absurdam & commenticiam, adeo ut quanto quisque inter philosophos fuerit sapientior, tanto magis abhorruerit à fide, &

de et articulis symboli. Academici, quos Cicero  
iudicat sapientissimos, etiam dubitandum esse do-  
cent, utrum sit deus, Sicut ipse in libro de natura  
deorum probat ex Prothagora, qui ita suum li-  
brum incepit, De dijs & q̄ sint, & q̄ non sint,  
habeo dicere. Epicurei deum esse, uerbotenus  
affirmant, re uera negant, & faciunt ex eo ido-  
lum cæcum & surdum, sine mente, & prouiden-  
tia, & affectione. Stoici dum alligant potentiã  
dei ad causas secundas, & negant materiam &  
ideas, id est formas creatas esse, tollunt omnipo-  
tentiam à deo, & rerum creationem ex nihilo.  
Peripatetici non intelligunt deum perpetuò as-  
sistere rebus, eas conseruare & gubernare, Sed  
iudicant deum discedere ab opificio condito, et  
eam sibi aut alijs gubernandã relinquere, Sicut  
faber discedit à fabricata nauì, & permittit re-  
gendã nautis, unde est illa uox, Deus sic res ad-  
ministrat, ut eas proprios motus agere sinat. Et  
quid de philosophis plura commemorem, cum  
nos, qui Christiani sumus, adeo frigidè assenti-  
mur primo articulo symboli, Credo in Deum  
patrem omnipotentem, ut nec panem quotidiana-  
num ausi simus ab eo sperare, cum destituimur  
B humanis

humanis præsidijs, nec claudum equum putemus  
posse eum sanare sine humana ope, & medijs no-  
bis notis. Ideo sæpe queritur Christus in Euan-  
gelio de diffidentia & dubitatione. Et nihilomi-  
nus hic primus articulus symboli minus pugnat  
cum humana ratione, quàm secundus, qui est de  
domino nostro Iesu Christo. Plato etsi definit  
Deum esse æternam mentem, causam boni in na-  
tura: tamen hoc nunquam intelligere potuit, Deum  
esse patrem domini nostri Iesu Christi, aut uelle  
nos adoptare in filios, propter fidem in ipsum.  
Manicheus de partu uirginis dicit, Si uirgo pepe-  
rit, phantasma fuit. Quàm ridiculum est huma-  
næ rationi credere, deum fuisse infantem, posse  
pati & mori. Et Apostoli post resurrectionem  
putabant se spectrum uidere, cum Christus eis  
apparuisset. Nos etsi recitamus symbolum, tamen  
actiones nostræ declarant, quàm certo creda-  
mus Christum uenturum ad iudicandum uiuos &  
mortuos. Quamuis autem doctrina Euangelij de  
filio dei crucifixo, à Iudæis putatur summa con-  
tumelia erga deum, & gentes hanc derident pro  
summa stulticia: tamen Ioannes ait, se tantum illa,  
quæ oculis uidit, & auribus audiuit, & manib.  
contrectæ

contrectauit de uerbo uitæ scripsisse. Quare do-  
ctrina de spiritu sancto, quem mundus non po-  
test accipere, quia non uidit eum, nec potest co-  
gnoscere, omniū difficilima est, et sanctitas Ec-  
clesiæ est inuisibilis, et multitudo magna Chri-  
stianorū etiam negat sanctitatem piorū consiste-  
re in remissione peccatorū. Articulus de resur-  
rectione non tam derisus fuit à Stoicis & Epicu-  
reis, prædicante Paulo apud Athenienses, quàm  
nunc deridetur ab omnibus sapientib. Esto igitur  
hypocritæ iudicent fidem esse rem facilem,  
tamen re uera est omniū uirtutum difficilima.  
Fertur de Aristotele, quòd cum uenisset ad Eurī-  
pum, & profunditatem eius non posset inuenire  
nec inuestigare per rationē, cur fundo careret,  
sese in illum præcipitauerit. Ad tantā amentiam  
doctissimum uirum perduxit superbia humanæ  
rationis, Ac nihil dubium est, quin rursus se in  
Euripum uelit præcipitare, priusq̄ sinat sibi hæc  
impossibilia, & incredibilia persuaderi, iudicio  
humanæ rationis, quæ nos Christiani confite-  
mur. Cum igitur priores duæ partes Catechismi  
de lege et fide, neq; intelligi, neq; inchoari pos-  
sunt sine gratia dei, & auxilio sancti spiritus, ac

B 2      necesse

necesse sit orare pro fide, et petere cum illo, qui dixit ad Christum: Domine, adiuua incredulitatem meam, imò cum nesciamus quomodo debeamus orare, ut Paulus docet, & Apostoli reliqui confitentur, cum inquit: Domine, doceas quomodo sit orandum. Ideo in tertia parte Catecheseos, & institutionis Christianæ exponitur formula orandi, præscripta & præcepta à Christo, Cum oratis, inquit, dicite ad hunc modum, Pater noster. Ad hanc formam omnes orationes piorum in psalmis, & in alijs sacris libris descriptæ, compositæ sunt, nec quicquam est humano generi, aut ulli hominũ, aut toti Ecclesiæ necessariũ, aut quòd deus uelit nos ab ipso petere, aut etiam petentib. præstare, quod in aliqua petitione huius precatationis non continetur. Quare necesse est, omnem formam orationis, quæ ad hanc non accedit, irritam esse, quia fit sine uerbo dei, cui fides nititur, quam oportet prælucere in oratione.

Cum autem captemus beneuolentiam primò uerbo, & compellatione patris, & profitemur nos accedere ad Deum, fiducia filij: manifesta idolatria est, offerre hanc orationem creaturis,  
aut

aut in nomine, id est, propter merita & inter-  
cessionem sanctorum statuere nos exaudiri.

Hæc tria capita de lege uel decalogo, fide uel  
symbolo, & precatione dominica ediscebant  
pueri ante hæc tempora, & recitabant Latina  
lingua, qua omnes etiam idiotæ & rustici cogebantur  
orare, cum proprias uoces non intelligerent,  
& darent sine mente sonum. Nunc post  
repurgatam Ecclesiam in multis locis Germa-  
niæ ab idolatricis cultibus & erroribus ad horum  
explicationem accesserunt alia quædam capita,  
de Sacramentis, quæ contrainstitutionem Chri-  
sti tradebantur, & collata erant ad super-  
stitionem & quæstum, & alijs qui-  
busdam, quæ magis necessa-  
ria uidebantur in doctri-  
na Christiana.

B 3 Epito

EPITOME EXPOSITIONIS  
Catechismi D. Philippi  
Melanthonis, relata ad interro-  
gationes & responsiones.

Quid est Catechesis?

**H**EST prima institutio, quæ fit uoce  
& sermone, in qua summa doctrinæ  
Christianæ traditur compendio.  
Sic Augustinus in libro de Catechi-  
sands rudib. scribit, Non debere omnia, sed prin-  
cipia & præcipua capita seu elementa pietatis,  
initio proponi Catechumenis.

Vnde dicitur Catechesis?

Ἄπὸ τοῦ κατηχέω, id est, doceo, instituo, atq;  
erudio uoce. Galat. 6. Κοινωνεῖτω ὁ κατηχῶν  
μὲν τὸν λόγον τοῦ κατηχῶντος ἐν πᾶσι  
ἀγαθοῖς: id est, Communicet is qui docetur ser-  
monem ei, qui ipsum docet uoce, in omnibus bo-  
nis.

Quod est officium

κατηχῆσαι?

Olim erant in Ecclesia non solum episcopi &  
pastores, sed etiam κατηχῆσαι, quorum erat pro-  
prium munus erudire nouitios, priusquam bapti-  
zarentur.



arentur. Sic Origenes præfuit Catechumenis apud Alexandriam, priusquam presbyter esset, et interim episcopi officio fungeretur Demetrius.

### Qua ratione tradenda est hæc doctrina?

ΚΑΤΗΧΗΣΑΙ non solum proponebant doctrinam, sed etiam ab auditoribus reposcebant dictata, quod in docendo est utilissimum. Ut diserte docet Augustinus in libro de catechisandis rudibus, & Chrysostomus in Homelia ad Catechumenos, cuius initium est, Eorum quæ antè dicta sunt apud charitatem uestram, fructus à uobis repetiturus aduenio, &c.

### Quare hæc docendi forma utilissima est?

Quia exploratis auditoribus, animaduerti potest, quid quisq; intelligat, & errantes admoneri possunt.

### Prodest ne hanc docendi formam retinere?

Maximè prodest in Ecclesia retinere hanc cōsuetudinem explorandi rudiores, ut iudicia de rebus necessarijs formentur.

B 4 Utile

DE CATECHIS.  
Vtile ne est ad aliud  
quiddam?

*Prodest & illud, unam quandam & simplicem certamq; formam doctrinae extare, & tenere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, & consentanei sunt scripturae.*

Sed nusquam hac de re  
extat praecipuum?

*Imò Paulus clare praecipit Timotheo, ut conseruet ὑποτύπωσιν sanæ doctrinae, id est, certam formam.*

Verum nihil incommodi sequitur  
hoc non obseruato?

*Dissimiles & ambigui modi loquendi pariunt multas dissensiones, cum alius aliud intelligit, & saepe pariunt errores.*

Quo ordine traditur Catechesis,  
& quæ sunt præcipua capita  
doctrinae Christianæ?

*Alij alio ordine tradiderunt, ac primò posuerunt precationem dominicam, & deinde symbolum Apostolorum: alij tertio loco collocant decalogum. Nostræ Ecclesiae sequuntur ordinem  
traditum*

*traditum in sacris libris, & incipiunt à lege seu decalogo, deinde addunt doctrinam de Euangelio, & articulis fidei. Alij addunt doctrinam de bonis operibus & sacramentis, nonnulli de operibus uocationis uniuscuiusq;.*

## DE LEGE.

## Quid est lex Dei?

*Definitio legis dei, & diuisiones legum petantur ex Mose, uel Gersono, uel Doctore Lutero, uel locis communibus D. Philippi Melanthonis, uel ab ipsis sententiarijs aut Canonistis. Sed decalogum seu legem moralem describit Paulus ad Roma. 7. Lex Dei est præceptum Dei iustum, bonum, sanctum, institutum ad uitam.*

*In definitione legis genus finiti est præceptum, sub quo intelligatur promissio. Præceptum enim propriè significat mandatū, quo iubetur aliquid fieri, ut est illud, Sabbatum sanctifices. Sic Mose exponit uocabulum præcepti, Quod tibi præcipio, hoc tantum facias Domino, Deuter. 12. Prohibitio ad negatiua præcepta pertinet, qualia sunt, Non habebis deos alienos. Non assumes nomen Dei tui uanè. Reliqua quæ sequuntur in definitione, præceptum dei iustum, sanctum, posita sunt loco differentia, & discernunt legem Dei ab*

B 5 humanis

## DE LEGE.

humanis legibus. Nam hæ tantum requirunt externam disciplinam, aut moderationem affectuum, qualis esse potest in hypocritis, qui dicuntur ciuilibiter iusti, boni, & honesti uiri, sicut Cicero, Pompeius, Cæsar, &c. Sed lex dei requirit ueram sanctitatem & iustitiã in omnibus actionibus, & perfectam obedientiam cordis, sensuum, adeoq; omnium uirium animæ & corporis, ad quam præstandam opus est integritate naturæ, & illa innocentia, in qua conditus fuit Adam, uel qualis erit post hanc uitam, Sicut oramus in preceptione dominica, Fiat uoluntas tua sicut in celo & in terra. Legum humanarum obseruatio non præstat uitam æternam, sed perfecta obseruatio legis dei seruasset homini uitam in æternum, sicut uiolatio minimi præcepti, uel minima inobedientia etiam cordis, & concupiscentia meretur mortem æternam, ut monstrat sententia legis, Maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus que scripta sunt in libro legis.

### Quæ est sententia definitionis legis apud Paulum?

*Id est præceptum, in quo Deus requirit iustitiam, sanctitatem ac bonitatem in omnibus uiribus & actionibus hominis, & quod ad hunc finem institutum erat, ut eius obseruatio hominis uitam sine morte & miseria seruaret.*

Est ne

Est ne utilis meditatio  
Decalogi?

*Vtilissima & saluberrima est. Continet enim doctrinam tam copiosam & sublimem, ut nunquam satis perspici, nunquam satis exhaustiri possit.*

Qualis debet esse nostra meditatio de lege dei?

*Hæc quatuor cogitanda sunt de lege dei. Primò enim lex nos admonet, ad quid condita sit humana natura, uidelicet, ut perpetuò celebraret Deum, semper & in omnibus actionibus ei obediret, præsentiam & gubernationem Dei in omnibus operibus intueretur, & agnosceret. Talis enim condita fuit natura humana, qualem lex hic describit, plena agnitione dei, in perfecta iustitia & sanctitate, sine ulla praua cupiditate, sine ullis calamitatibus, sine morte.*

*Secundò monet nos lex de præsentis miseria. Iam enim incidimus in horrendas tenebras, sumus rei iræ dei, pleni prauis cupiditatibus omnis generis, subiecti infinitis miserijs, et damnati ad mortem.*

*Tertiò lex nos monet de reparatione humani generis, & qualis futura sit natura in regeneratione*

## DE LEGE.

ratione & resurrectione mortuorum. Quia tunc natura restituetur suæ integritati, & satisfaciet legi Dei.

Postremò lex nos admonet & urget, ut confugiamus ad filium Dei, qui pro nobis satisfecit legi, & sustinuit iram sui patris, factus pro nobis uictima, & ut consideremus ipsius beneficia, & ea gratis mentibus amplectamur, & certa fiducia ad nos applicemus.

### Quot sunt tabulæ legis?

Duæ. Quarum prima continet opera, quibus immediatè cum Deo agimus, & præcipuum cultum Dei, interiorem & exteriorem, cordis, oris, operum.

Secunda tabula continet præcepta de officijs omnis generis, erga uniuersos ordines hominum, parentes, magistratus, proximos, eorum coniuuges, liberos, & fortunas, famam & familiam.

### Quot sunt præcepta legis?

Ipsa uox decalogi quæ sumpta est ex 10. cap. Deuteronomij, indicat esse decem. Nam isthïc Moyses dicitur scripsisse decem uerba, quæ locutus est Dominus de medio ignis. Et uox Hebraica דְּבָרִים, quæ in eo loco ponitur, totidem significat Hebræis quod dictio λόγος & Græcis. Inde factum

Etum est, ut hos decem λόγους seu decalogum,  
Latini decem præcepta appellent.

Cur igitur in duobus præceptis  
dilectionis Dei & proximi, Chris-  
tus & Paulus complexi  
sunt totam legem?

Quia singula decem præcepta, ad alteram  
harum legum referri possunt, & quidem prima  
tabula exponit præceptum de dilectione Dei, se-  
cunda de dilectione proximi. Ideo Christus &  
Paulus præceptorum numerum æquarunt tabulis,  
& unius tabulae unum tantum fecerunt præce-  
ptum.

Quot præcepta continet  
prima tabula?

Iudæi, Græci & Latini aliquot dicunt, nos  
ex duobus primis præceptis unum fecisse, & di-  
uisisse decimum in duo. Sed quia scimus λογισμα-  
Χίαρ à Paulo prohibitam esse, sequimur usitatam  
formam doctrinae, quæ traditur in Ecclesijs no-  
stris, propter rationes recitatas ab Isidoro &  
Augustino in quæstionibus super Exodum, lib. 2.  
quæst. 71.

De

DE PRIMO  
DE PRIMO  
P R A E C E P T O.

**A** quo orditur deus decalogum?

Ab illo opere, quod est ante omnia necessarium, scilicet à uera notitia dei. Nam breuiter (ut solet) sed grauisimè præfatur, quomodo uelit à nobis cognosci, cum inquit: EGO SUM DOMINVS DEVS TVVS, qui eduxi te de terra Aegypti.

**Q**uæ est sententia?

Id est, Hunc solum esse Dominum deum tuum agnosces, qui tradit tibi hoc uerbum, et proponit hoc testimonium, quo uult cognosci, scilicet quòd eduxit populum Israëliticum ex Aegypto, cum ingentibus prodigijs, quæ solus Deus facere potest, sicut magi Pharaonis confitentur. Digitus dei est hic.

**Q**uibus igitur rebus deus uult appræhendi?

Duabus. Nimirum uerbo, quod ipse tradidit, et testimonio, quod proposuit ad confirmandum uerbum.

**Q**uare testimonium est necessarium?

Quia



Quia enim Deus inuisibilis est, necesse est de eo aliquod testimonium extare, per quod agnoscat & apprehendatur.

Sufficit ergo solum testimonium ad cognoscendū Deum?

Non. Quia mens intuens mundi opificium, cogitat de autore Deo. Sicut Paulus docet Ro. I. Inuisibilia Dei, aeterna potentia & diuinitas ex opificio mundi mente cogitata intelliguntur. Sed haec notitia non sufficit, quia manent adhuc errores de natura & uoluntate Dei, an ille conditor rerum curet, & exaudiat nos, quomodo uelit coli. Ideo hic propositum est certum uerbum, & huic additum certum testimonium.

Omnibus ne temporib. traditum est uerbum, & testimoniū?

Omnibus. Quia Adamo in Paradiso propositum fuit uerbum: De arbore scientiae boni & mali ne comedas. Et tota rerum natura addita est quasi certum testimonium. Postea cum lapsus esset, quia opus fuit consolatione, de remissione peccatorum. Ideo aliud uerbum est traditum, scilicet, PROMISSIO GRATIAE. Et accedebant signa. Victimae rapiebantur igne caelesti.

## DE PRIMO

sti. Postea L E X data est in monte Sinai, cum prodigijs. Nobis propositum est E V A N G E L I V M, & certum testimonium F I L I V S D E I crucifixus & resuscitatus. Vt uideo, uerbum omnibus temporib, propositum est ipsa uox legis, uel promissio Euangelij, Sed quomodo hæc uox: De omni arbore Paradisi uesceris &c, reuocatur ad decalogum?

Facilimè reducitur ad primum præceptum; Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, id est, præferas dilectionem Dei huic pomo & omni quod in mundo uidetur pulchrum & amabile.

Quæ est sententia huius primæ legis uel prohibitionis? NON ERIT TIBI DEVS ALIVS, QVAM EGO.

Hæc ex antithesi fit illustris. Est igitur sententia: Me solum pro Domino deo tuo agnoscas, & colas, ac prætere a nullum.

### Quid est Deus?

Deus non potest definiri, id est, finibus circumscribi. Et cum nullius rei ueram differentiam multo minus ipsius Dei habemus, imò nec genus, si Augustino credimus, lib. 5, cap. 2. Item libro 7. cap.

Cap. 4. de trinitate, quia substantia etiam improprie dicitur de Deo, in quem nullum accidens cadere potest.

Potest tamen sic pueriliter describi: Deus est pater Domini nostri Iesu Christi, qui me & res omnes, cum non essemus, creauit, & nunc conseruat atq; sustentat, cum perissemus, redemit per suum filium factum hominem, passum, mortuum & resuscitatum, sanctificat per suum sanctum spiritum, dans in hac uita remissionem peccatorum, per fidem in Christum, & post hanc uitam in resurrectione mortuorum, cum uenerit Christus ad iudicium, uitam eternam.

### Vnde hæc noua forma definitionis Dei?

Responsio. Sic Paulus Deum definit ad Romanos 3. An Iudæorum Deus tantum? An non etiam gentium? Quandoquidem idem Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Et Christus inquit: Deus non est Deus mortuorum, sed uiuentium, &c.

### Quid est agnoscere aliquem & colere pro Deo?

Est de alicuius bonitate, & potentia persuasum

C

sum

## DE PRIMO

sum esse, quod & possit, & uelit tibi dare omnia bona, & ad eum inter pericula confugere, eum timere & diligere super omnia.

**Qui sunt cultus, de quibus hæc lex præcipit?**

Variè enumerantur. Scholastici numerant fidem, spem, & charitatem, quas uocant uirtutes theologicas, id est, quæ concionantur de Deo, uel habent Deum pro obiecto. Nostri timorem, fidem & dilectionem, ac patientiam, quæ ex timore dei, & fide nascitur. Sed tamen docendi causa, duo cultus communiter recensentur. Timor & fides, quorum prior in pœnitentia, posterior in remissione peccatorũ clarè cernitur, & fides in Christum imputatur nobis pro perfecta dilectione dei, imò dilectio oritur ex fide & est ipsius effectus.

**Possunt ne homines præstare hos cultus?**

Potuissent quidem natura adhuc integra perfectam præstare obedientiam, qualem lex Dei requirit, quia homo conditus est ad imaginem Dei, id est, in perfecta sapientia & iustitia.

**Quid autem post corruptionem naturæ?**

post

Post corruptionem naturæ, & ante regenera-  
tionem per spiritum sanctum, uera & spiritualis  
obedientia, quam lex requirit, ne inchoari qui-  
dem potest. Ratio. Quia hærent in nobis dubita-  
tio, carnalis securitas, concupiscentia, quæ pu-  
gnant cum timore & amore Dei.

### Quid uerò renati?

Renati autem adiuuantur à spiritu sancto,  
& quia statuunt se habere Deum propitium, pro-  
pter Christum, incipiunt diligere Deum. Ideo  
Paulus ait, Legem stabiliri per fidem, & inchoa-  
ri spirituales obedientiam accedente fide. Atta-  
men hæc obedientia est imperfecta.

### Quomodo placet Deo imperfecta obedientia?

Propter Christum. Sicut Paulus inquit: Chri-  
stus est consummatio legis, ad iustitiam omni cre-  
denti, id est, fides in Christum imputatur pro per-  
fecta obedientia, & propter hanc condonatur  
reliqua infirmitas.

Cuiusmodi timor & fides requi-  
runtur? Nam dæmones cre-  
dunt et contremiscunt.

Non sufficit externa disciplina, nec tantum il-

## DE PRIMO

le timor, qui est in his, qui Deum fugiunt & ode-  
runt, ut dominum serui, & hypocritæ ac diaboli  
Deum. Sed talis requiritur timor, qualis est filio-  
rum erga parentes. Nec sufficit nosse, & profi-  
teri ea, quæ docet symbolū, sed necesse est, Deum  
in uerbo, quod nobis tradidit, id est, in promissio-  
ne Euangelij, de gratuita remissione peccatorū,  
& per signum, quod nobis proposuit, id est, per  
Christum & per fiduciam misericordie in ipso  
propositæ, colere & inuocare.

Proba in hoc præcepto requiri  
timorem, cui coniunctæ sunt fides &  
dilectio, & huiusmodi fidem,  
quæ sit fiducia misericor-  
diæ Domini nostri  
Iesu Christi.

Cum inquit: Ego sum Dominus Deus tuus, for-  
tis, Zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios,  
usq; in tertiam & quartam generationem, eorum  
qui oderunt me. Clare hic docet, se requirere hu-  
iusmodi timorem, cui non sit adiunctum odium.  
Et cum addit, Faciens misericordiam in millia  
his, qui diligunt me, declarat se uelle coli, fide &  
dilectione. Et quidem illa fide, quæ confidat mise-  
ricordie promissæ ab hoc Domino, qui loquitur.

Is 44<sup>m</sup>

Is autem est Dominus noster Iesus Christus, sicut prophetae & apostoli clarè docent.

Sed quare ait: Non erunt tibi alij dii, cum tantum unus sit Deus?

Ipse se exponit, cum addit: Non facies tibi idolum & omnem similitudinem, quæ in cælo est supernè, & quæ in terra infernè, & quæ in mare sub terra.

Quæ est sententia?

Tu non facies, id est, non finges ex uanitate mentis tuæ, alia ratione apprehendendum, aut colendum esse Deum, quàm per uerbum traditum, & testimonium propositum, sicut aliæ gentes, quæ fingunt pluralitatè deorum, & colunt Deum per creaturas.

Quid significat idolum, & quomodo differt à similitudine?

Idolum significat rem confictam humana cogitatione, & opere, quæ nusquam extat, quale ab Horatio describitur in Arte poëtica his uersibus:

Humano capiti ceruicem pictor equinam  
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas

¶ 3. Undiq;

## DE PRIMO

Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum  
Desinat in piscem, mulier formosa supernè.

Similitudo autem est imago rei, quæ extat,  
mente informata, aut arte expressa, ut simulacrū  
Dianæ, imago Solis, Lunæ, & syderum.

### Est ne omnis idololatria unius generis?

Imò multa sunt genera, sed docendi causa  
duo enumerentur, scilicet idololatria mentis, uel  
interna, et idololatria manus, uel externa. Idolo-  
latria mentis est, ludere de Deo falsis opinionib.  
Vt Epicurci finxerunt Deum otiosum, non curan-  
tem res humanas. Stoici alligârunt Deum ad cau-  
sas secundas. Et excogitare cultus sine uerbo dei,  
uel spem ac fiduciam tuam in idolo cordis tui col-  
locare. Nam εἰδωλολατρία est idololatra, ut Pau-  
lus ad Ephc. 6. ait. Et de illis, qui fiduciam iustitiæ  
posuerunt in circumcisione, scribit ad Philip. 3.  
Quorum deus uenter est, & gloria in pudendo  
ipsorum. Idololatria manus, est colere Deum ce-  
remonijs excogitatis, sine uerbo Dei, iuxta man-  
data & traditiones hominum.

### Quæ sunt peccata pugnancia cum primo præcepto?

Hic



Hic constitui solent certi gradus, & uariè quidem enumerantur ab alijs, atq; alijs. Sed quia omnes pugnant, aut cum timore, aut cum fide, & oriuntur uel ex errore mentis de natura Dei, uel de uoluntate ipsius: ad iuuandam puerorum memoriam, duos tantum gradus constituemus, qui non obscure collocati sunt in hoc præcepto. Non facies tibi idolum, & non coles illud.

**Quis est primus gradus?**

Facere idola aut similitudinem Dei, hoc est, fingere cogitatione, doctrina aut manu.

**Quomodo fingitur idolum cogitatione & doctrina?**

Cum cogitatione aut sermone affingitur aliquid Deo, cum quo non conuenit natura ipsius, aut cum aufertur ab eo id, quod ei est proprium.

**Declara exemplis.**

Vt cum Epicurus fingit Deum non affici hominum miseria. Et Stoicus alligat potentiam Dei ad causas secundas. Alter tollit prouidentiam, & misericordiam à Deo, ac iustitiam, & fingit Deum esse idolum, cæcum & surdum, sicut ille qui depinxit Iouem sine auribus. Alter detrahit ei po-

C A tentiam,

## DE PRIMO

sentiam, cum docet, hanc totam esse exhaustam in creatione, sicut hi, qui pingunt Saturnum decrepitum, & altero crure ad baculum alligatum. Aliud exemplum de his, qui eripiunt Deo id, quod ei est proprium. Sic cum Iudaei, Mahometistae & Arriani negant trinitatem personarum, & gentes, Manichaei & Valentiniiani finxerunt pluralitatem deorum, eripuerunt Deo id, quod ei natura conuenit, scilicet, unitatem essentiae in tribus personis. Tertium exemplum de his, qui Deo auferunt proprietates alias, ut Platonici, qui posuerunt tria principia coeterna, Deum, materiam & ideas. Et Aristotelici, qui docent mundum esse ingenitum & incorruptibilem. Et Manichaei, qui finxerunt omnes res corporales creatas esse à diabolo.

**Quomodo potest similitudo  
Dei exprimi manu, cum Deus  
sit inuisibilis, & mens  
aeterna**

Ex errore mentis oritur idolum, & imago manus, ut cum mens tribuit diuinitatem creaturis, postea manus conatur similitudinem diuinitatis exprimere imagine illarum creaturarum. Sic cum gentes tribuerent diuinitatem Soli, & Lunae, & retulissent

retulissent homines mortuos in numerum deo-  
rum: docti statuarij & pictores, ut Phidias, Poly-  
cletus, ac similes fecerunt imagines Apollini &  
Dianæ sacras, id est, Soli & Lunæ. Item Ioui, Ve-  
neri, hominibus mortuis, & uolucris, & be-  
stijs, ut prophetae queruntur. Et Paulus Rom. I.  
obijcit philosophis.

### Dic breuiter qui pertinent ad primum hunc gradum?

Omnes qui cogitant, loquuntur aut scribunt  
de natura Dei aliter, quàm iuxta propositum uer-  
bum, & additum testimonium, uel qui iuxta hæc  
Deum non apprehendunt, non assentiuntur uer-  
bo Dei, uel qui naturam Dei statuis, & imaginib.  
creaturarum, quibuscunq; tandem nominibus uo-  
centur & Deo, Epicurei, gentes, Iudæi, Mahome-  
tistæ, Heretici, &c. exprimere conantur.

### Quis est alter gradus peccatorū pugnantium cum primo præcepto?

Vt primus gradus peccatorum oritur ex er-  
rore de natura Dei, ita secundus nascitur ex igno-  
rantia uoluntatis eius, quomodo uelit inuocari, et  
coli. Secundus igitur gradus est, procumbere men-

C S te aut

## DE PRIMO

te aut corpore ante idolum cordis tui, & illud colere, hoc est, metuere, huic confidere, & inuocare illud, uel docere aliter iudicandum esse de uoluntate Dei, et uero ipsius cultu, quam ipse precepit, cum de caelo clamaret: Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

Sed fac breuem catalogum eorum, quæ sunt in hoc gradu.

In hoc gradu sunt Magi, diuinatores, qui consulunt diabolos, qui inuocant mortuos, alligant Deum ad statuas, qui secure contemnunt iudicium Dei, qui metuunt tyrannos magis quam Deum, qui confidunt presenti fortunæ, quiq; fiduciam iustitiæ coram Deo in suis ipsorum, aut aliorum hominum meritis collocant, qui præ amore alicuius creature Deum negligunt. In summa, qui aliter Deum colunt, quam iuxta doctrinam Euangelij, hoc est, uero metu iræ & iudicij ipsius contra peccatum in uera pœnitentia, & fiducia certâ gratuite misericordiæ in Christo propositæ, aut de illa misericordia dubitant & finaliter desperant.

Cum duo tantum sint opera primi præcepti, timor, ac fides, qui fit,

fit, quòd tot & tam uaria peccata  
sint cum eo pugnantiæ?

Quia una & simplex est ueritas, sed est mul-  
tiplex error, sed si cui placet tot enumerare gra-  
dus bonorum operum, quot sunt peccata pugnan-  
tia cum hoc præcepto, is sequatur & uti de ipse  
tam à Doctore Luthero, D. Philippo, & alijs.

Quæ est poena uiolati  
præcepti?

Hæc sequitur in decalogo. Ego sum Domi-  
nus Deus tuus, fortis, zelotes, uisitans iniquitatem  
patrum, &c.

Quare addit, tuus?

Magna Emphasis est in pronomine tuus, quæ  
nos admonet, ut quilibet ad se applicet uerba  
promissionis, EGO SUM DOMINUS  
Deus tuus, id est, qui te creauit, conseruo, respicio,  
exaudio, do tibi omnia bona, remissionem pecca-  
torum, & uitam æternam.

Ergo prima uox legis est promissio  
Euangelij.

Respondeo, Nondum præcipit, sed præfa-  
tur, & significat legem requirere fidem in Chri-  
stum,

DE PRIMO

stum, uel Christum esse finem legis ad iustitiam  
 omni credenti. Hæc est causa, cur sic præfatur  
 de promissione Euangelij, Sicut istic ad Abraha-  
 mum: Ego sum protector tuus, & merces tua  
 magna nimis, & mox addit legem, Circumcide-  
 tur in posteritate tua omnis masculus. Ideo Pau-  
 lus contendit promissionem de Christo, priorem  
 esse lege, & docet legem non tollere promissio-  
 nem, nec contra legem aboleri per fidem, Sed  
 alterum altero stabiliri. Et ut maximè dicas, hoc  
 esse præceptum affirmatiuum, Ego sum Dominus  
 Deus tuus, &c. & hanc esse sententiam, me so-  
 lum pro Deo cognosces, & tuam fiduciam in me  
 collocabis: tamen eodem redit: Præceptum fidem  
 postulat, promissio fide accipitur. Certum est  
 enim Christum esse illum Dominum, qui loquitur:  
 Ego sum Dominus deus tuus, &c.

Sed dices, Igitur nihil aliud est  
 Euangelium, quàm expositio le-  
 gis, & lex nihil aliud requirit quàm  
 fidem in Christum?

Responsio. Imò lex requirit perfectam obe-  
 dientiam erga omnia præcepta, & non tantum  
 fidem in Christum, Deinde hæc ipsa fides in Chri-  
 stum longe abest ab illa perfecta & constanti fi-  
 ducia,

ducia, quam requirit primum praeceptum. Tertio, imputata iustitia propter fidem, nequaquam satisfacit legi, quia lex requirit illam absolutam obedientiam, quae erit in aeterna uita, desinente fide.

Quare hic addit fortis & zelotes ad illa priora duo epitetha?

Singula sunt emphatica. Nomen Domini realatiuè dicitur ad seruum, ideo cum ait: Ego sum Dominus, significat se requirere timorem & seruitutem seu obedientiam. Sic enim ipse alias interpretatur. Si ego sum Dominus, ubi est timor meus? Deus dicitur à benefaciendo, & eo nomine significat se requirere amorem. Sic enim Christus interpretatur nomen Dei, ubi inquit: Deus non est Deus mortuorum, sed uiuorum, id est, quibus dat uitam, & quibus benefacit. Et Paulus inquit: An Iudeorum Deus tantum, an non est gentium? Unus est Deus, qui iustificat, circumcisionem ex fide, & praeputium per fidem. Vis in pronomine tuus applicat beneficia ad personam, & significat Deum tibi dare remissionem peccatorum, et uitam aeternam. Fortis dicitur à potentia, & in ea uoce Deus significat posse se ulcisci suam iniuriam.

## DE PRIMO

riam. Zelotes significat eum inuidere diuinum nomen suum, & diuinam gloriam omnibus creaturis. Sic enim ipse se exponit per Esaiam prophetam cap. 42. Gloriam meam alteri non dabo, neq; honorem meum sculptilibus.

**Q**uid significat uisitare iniquitatem patrum in filios?

Visitare peccata patrum in filios, Hebraica phrasi significat, puniri filios propter impietatem parentum. Quam inquires impietatem? & an omnis impietas sit odium Dei? quandoquidem ait, eorum qui oderunt me. Respondeo. Quia primum præceptum requirit amorem Dei, iuxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et pietas est obseruatio primi præcepti: ideo transgressores illius sunt impij, & oderunt Deum.

**S**ed hæc comminatio pertinet ad omnia præcepta?

Reliqua præcepta continentur in primo, & sunt testimonia fidei & dilectionis. Cum autem ex fide gratuita misericordiae Christi, oriatur dilectio Dei, & ex dubitatione & diffidentia odium ipsius, facile intelligi potest omnes impios esse  
incre



incredulos, & odisse Deum, uerè aut interpre-  
tatiuè, ut enim omne bonum opus est ex fide, &  
fit prælucente fide, ac monstrante uerum finem  
operis, ut præstetur Deo obedientia, & ad glo-  
riam Dei, uel ut Scholastici cum Augustino di-  
cunt, propter amorem Dei: Ita omne peccatum  
est ex infidelitate, quia fit contra conscientiam,  
non prælucente, aut extincta fide uel dubitante  
conscientia, & pergente, non habita ratione glo-  
riae Dei, uel utrum ipse irascatur, ideo fit cum  
odio Dei.

Contra sententiam huius comminationis ar-  
gumentor ex Ezechielis cap. 18. Filius non por-  
tabit iniquitatem patris. Deus autem commina-  
tur filiis propter peccata maiorum, cum inquit  
Visitans iniquitatem patrum in filios. Ergo hæc  
comminatio est iniusta. Duplex est hic responsio.  
Vna quod hoc dictum: Filius non portabit iniqui-  
tatem patris, intelligi debet de iudicio magistra-  
tus, & non de iudicio Dei. Altera solutio, quòd  
filius non puniatur æternis pœnis pro parentibus  
sed tantum corporalibus in hac uita. Simplex  
solutio est, prophetam exponere hanc commina-  
tionem de filiis, qui perseuerant in peccatis pa-  
rentum, nec agunt pœnitentiam, nec confidunt  
misericordiae Christi.

Quæ

DE PRIMO

Quæ est promissio addita  
primo præcepto?

Vt Deus minatur ijs, qui ipsum oderunt, & eorum posteritati pœnas usq; in tertiam & quartam generationem. Ita promittit hic misericordiam illis, qui diligunt eum, & eorum posteritati, usq; in millesimam generationem.

Quare dicit, faciens misericordiam, & non potius reddens præmia, & quid significat hic misericordia?

Ante dictum est, fidem esse opus primi præcepti, fide inchoari obedientiam, nec posse aliquem amare Deum nisi prius statuat, eum esse placatum propter filium, & misericordiam in eo promissam. Ideo ait, se facere misericordiam, ut significet, se etiam ipsas promissiones legis, propter fidem in Christum, & misericordiam in eo promissam præstare, & non propter dignitatem aut perfectionem nostræ obedientiæ.

Argumentor contra. Nulli minus contingunt præmia in hac uita, quam pijs hominibus. Ergo Deus est iniustus. Probo consequentiam, quia lex promittit præmia iustis, id est, pijs, & pœnas impijs & iniustis.

Respon.

Respon. Euangelium interpretatur legem, & docet differri praecipua praemia, & praecipuas poenas usq; ad futuram uitam. Et interim pios subiectos esse cruci, & tamen promittit ea, quae ad hanc uitam, & cuiuslibet status necessaria sunt, sicut Christus inquit in Matthaeo: Primum querite regnum Dei, caetera adijcientur uobis.

### Quomodo igitur petenda sunt corporalia bona?

Sic petenda sunt, ut etiamsi differantur, aut non uideantur dari, tamen non debeamus à Deo deficere, & obseruemus ordinem in precatione dominica praescriptum, ut ante panem quottidianum, & bona corporalia oremus: Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum, &c.

### Quomodo exercetur fides expectatione bonorum temporalium?

Tripliciter.

Primò cum audis promissionem rerum temporalium, ut: Date et dabitur uobis. Hic humana infirmitas obstrepat, & ait se nescire, an consilio Dei nobis bona contingant, an casu pijs et impijs obijciantur bona & mala, Ideo primum exercitium

D fidei

## DE SECVNDO

fidei est cultus Dei, præceptus in prima lege, scilicet, ut statuamus hæc diuinitus dari, non casu contingere.

Deinde mens reclamatur, & disputat Deum non tanti facere tuum opus, ut propterea aliquid sit daturus, præsertim cum sis alioqui indignus & peccator. Ideo alterum exercitium fidei est, quòd hæc nostra obedientia imperfecta, placeat propter Christum.

Tertiò cum audis hanc promissionem: Date, & dabitur uobis: tamen minus liberalis es, quia cogitas Deum non esse compensaturum, te et tuos futuros in paupertate. Ideo tertium exercitium fidei est, petere & expectare compensationem.

## DE SECVNDO

### PRAECEPTO.

Quæ est ratio ordinis seu methodi in dispositione præceptorum?

**A**PTISSIMVS est ordo præceptorum. Postquam enim cor instituit & composuit ipsius motus et gestus, ac affectus in colendo Deo, (Primus enim & præcipuus Dei cultus est uera & spiritualis obedientia cordis erga Deum, iuxta illud: Diliges dominum Deum tuum

tuum ex toto corde tuo. Item: Veri adoratores  
colunt patrem in spiritu. Deinde concionatur de  
externa significatione honoris, seu professione,  
& informat os ac linguam instituit, de uero usu  
nominis Dei. Quia sicut per uerbum Deus se pa-  
tescit, ita iuxta uerbum uult ueram sui notitiam,  
& inuocationem propagare.

Sed uerba secundi præcepti: **NON  
ASSUMES NOMEN DOMINI DEI  
tui ad uanitatem, uel falsitatem, uel  
mendacium** (omnia enim hæc  
Hebræa uox **שׁוּבָה** significat)

tantum prohibent abu-  
sum nominis Dei?

Ex primo præcepto reliqua pendent, & in-  
telliguntur. Ut igitur istic primò præcipitur  
de ordinatis motibus cordis, id est, timore, fide,  
& dilectione: Deinde prohibentur uanæ cogita-  
tiones, & inordinati affectus erga Deū: Ita in se-  
cundo præcepto negatiuè, quod prohibet abusum  
nominis Dei, comprehenditur mandatum affirma-  
tiuum, quod præcipit de uero usu nominis diuini.

Quis est uerus usus no-  
minis Dei?

## DE SECVNDO

Sanctificatio nominis Dei est in propagatione ueræ notitiæ & ueri cultus Dei. Nam supra præcipitur, ut mens agnoscat hunc esse uerum Deum, creatorem, & saluatorem, qui eduxit populum è terra Aegypti, ac propterea deberi ei gratitudinem, & obedientiam. Hic uerò præcipitur externa prædicatio beneficiorum ueri Dei, ut alios inuitemus ad ueram Dei cognitionem, & gratiarum actionem pro suis beneficijs.

### Quot sunt opera secundi præcepti?

Variè enumerantur, sed ad iuuandam memoriam puerorum duo tantum poterunt constitui, scilicet prædicatio & inuocatio. Prædicatio continet confessionem nominis Dei, sicut Paulus docet ad Roma. 10. Quomodo inuocabunt Deum, in quem non crediderunt? quomodo credituri sunt, nisi audiant prædicationem? Inuocatio continet gratiarum actionem, glorificationem, & sacramenti dictionem uel iuramentum.

### Vbi de his extant manifesta præcepta?

Christus præcipit de prædicatione & doctrina: *Ite in mundum uniuersum, & prædicate euangelium omni creature.* Item: *Docete omnes gentes*

gentes. Et de confessione nominis Dei. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Item: Continget uobis in testimonium. Item: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre. De inuocatione & glorificatione, extat clarum praeceptum. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Et de iuramento, & gratiarum actione eodem loco praecipitur. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Item: In nomine Domini Dei tui iurabis. Et in Psal. Et laudabuntur omnes, qui iurant per eum.

### Quomodo fit hoc praeceptum?

Cum uera fide inuocamus nomen Domini nostri Iesu Christi, & docemus, non esse aliud nomen hominibus datum sub caelo, in quo nos oporteat saluos fieri. Sic enim Paulus exponit secundum praeceptum, ex propheta Iohela: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit.

### Quare sine fide in Christum non potest fieri hoc praeceptum?

Quia in inuocatione obstrepat nobis indignitas nostra, et conscientia agnoscens peccata non audet sperare & petere bona à Deo, ideo necesse est scire, quod propter Christum pater sit pro-

D 3 pitius

## DE SECUNDO.

pitius, et quòd propter ipsum exaudiamur, quòd ipse sit pontifex noster, qui offerat preces nostras patri.

**Quæ sunt peccata pugnancia cum hoc præcepto?**

Vt opera huius præcepti reuocauimus ad hæc duo, scilicet, prædicationem & inuocationem nominis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, ita peccata pugnancia cum hoc præcepto reduci possunt ad hæc duo genera, scilicet ad falsam doctrinam religionis, & idolatricam inuocationem. Pertinent autem ad falsam doctrinam hæc peccata: Spargere & defendere falsa dogmata, & uera deprauare, calumniari, & obscurare. Item non confiteri doctrinam ueram, cum interrogamur, non docere euangelium, ubi postulat uocatio, non defendere puritatem doctrinæ, & sinere eam impurari sophistica, & humanis traditionibus. Item blasphemia aduersus Deum & maledicta, & hæreses ac epicurei sermones, id est, cum homines contemptim loquuntur de religione, ut Pharao, & Rabsases contemptim loquuntur de Deo. Ad idololatricam inuocationem pertinent inuocatio diabolorũ et mortuorum, periuria, execrationes, & deuotiones. Postremo omisio ueræ inuocationis, et gratiarum actionis.



## An licet iurare?

Licet, cum exigitur iuramentum à legitima potestate, aut cum alioqui opus est, pro gloria Dei, & salute proximi.

## Proba.

Probo authoritate & exemplo. Scriptura præcipit in nomine Domini Dei tui iurabis. Et Paulus 2. Cor. 1. inquit: Deum inuoco testem, aduersus animam meam.

## Contrà, Christus ait: Nolite iurare omnino.

Christus prohibet iuramenta sine iusta necessitate. Et Augustinus addit, uim insitam esse in aduerbio omnino, quod sic interpretatur, omnino, id est, pro qualibet occasione. Et addit, quod amplius est, à malo est, uel ipsius, qui frustra iurat, uel illius, qui sine iuramento non credit. Altera ratio est. Euangelium non abolet politias, & iudicia. Minor. Sed iuramenta sunt uincula iudiciorum. Probatio minoris est in epistola ad Hebræos. Omnis controuersiae finis est iusiurandum. Ergo Christi dictum intelligendum est, de iuramento, quod fit sine necessitate.

D 4 Quo

DE SECVNDO

Quæ est comminatio addita  
huic præcepto?

Non habebit Deus infontem eum, qui assumit  
nomen Domini ad uanitatem, id est, qui frustra  
iurat, non impunè feret, etiamsi magistratus eum  
non puniat. Sed dabit Deo graues pœnas, sicut  
poëta Tibullus etiam testatur:

Ah miser & si quis primùm periuria cœlat:  
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Quare Deus tam grauiter com-  
minatur periuris?

Quia in periurio est triplex peccatum. Pri-  
mum, quòd Dei gloria læditur, cum citatur tan-  
quam falsus testis. Alterum peccatum, quòd per-  
iurus contemnit Deum, nec putat eum fore ulto-  
rem. Nam iurans imprecatur sibi pœnam si fal-  
lat. Est enim hæc cuiuslibet iuramenti sententia.  
Inuoco Deum, & peto ut me puniat si fallo. Ter-  
tium peccatum est, quòd periurus prætextu no-  
minis Dei conatur tegere & defendere peccatū.  
Est ne promissio aliqua propo-  
sita his, qui obseruant hoc  
præceptum?

Est.

Proba.

probo

Probo ex uersiculo Psalmi . Et laudabuntur omnes, qui iurant per eum . Item: Glorificantes me glorificabo . Et Hesiodus inquit:

Ἀδ' ῥόε δ' εὐόρε καὶ γενεὴ μετόπισθε ἀμείνων  
 Id est, Posteritas uiri, qui rectè & bene iurat, bene habebit.

## Debét ne magistratus punire periuriam?

Debet.

### Proba.

Probo autoritate & ratione . Leuit. 24. Qui blasphemauerit nomen domini, morte moriatur . Ratio duplex est . Prima, iuramentum est præcipuum uinculum politici status . Ergo eius autoritas maximè defendi debet . Altera ratio . Magistratus est custos totius legis, quantum ad externam disciplinam attinet . Ergo debet punire delicta externa, aduersus omnia præcepta .

An illicita iuramenta sunt seruanda? Est autem illicitum iuramentum, in quo promittitur aliquid, quod est peccatum, aut sine peccato præstari non potest.

Respondeo igitur, iuramenta illicita non sunt

D 5 seruanda

## DE TERTIO

*seruanda. Quia subiectum iuramenti est res licita & honesta. Deinde duplex peccatum est, prestare iuramentum illicitum, sicut Herodes dupliciter peccauit. Primò quia pollicetur rem illicitam. Deinde dissimulauit se coactum esse iurando, ut interficeret Ioannem.*

### Quid igitur de uotis monasticis?

*Irrita sunt, quia hærent in uotis impiæ opinionones, quæ lædunt gloriam Christi, id est, cum finguntur uota esse cultus Dei & perfectio Christiana. Dein, quòd mereantur remissionem peccatorum, sicut monachi æquabant suam professionem baptismo.*

## DE TERTIO PRAECEPTO.

Dic primò de ratione ordinis  
quare tertio loco præcipitur?

MEMENTO VT DIEM SAB  
BATI SANCTIFICES?

**N**CESSARIA & commodissima ratione. Primum enim præceptum de cultu Dei instituit corda, quæ sunt fontes omnium

nium actionum. Alterum format linguam, in effe-  
renda laude Dei, Tertium regit manus, oculos &  
aures, & alia membra in cultu Dei, in audiendo  
uerbo, & faciendis ceremonijs diuinitus institu-  
tis.

Quæ est igitur sententia huius  
ius præcepti?

Tu coles Deum ceremonijs ab eo præscriptis,  
certo aliquo die ab hoc constituto.

Sufficit ne cultus cordis, & conf-  
fessio oris, sine alijs cere-  
monijs?

Non. Quia Deus uult diligere ex toto corde, to-  
ta mente, & omnibus uiribus, hoc est, uult om-  
nes etiam sensus suo cultui seruire, & externis  
gestibus sibi exhiberi reuerentiam, & alios in-  
uitari ad imitationem. Ideo secundum & tertium  
præceptum, sunt quasi explicatio primi.

Contrà. Cultus noui testamenti  
sunt spirituales, sicut Christus ait:  
Veri adoratores adorabunt patrem  
in spiritu. Et de ceremonijs in-  
quit. Populus hic labijs me  
honorat.

Hæ

## DE TERTIO

Hæ sententiæ reprehendunt fiduciam operis externi, facti sine fide. Dictum autem est 2. & 3. præcepta esse testimonia, addita primo præcepto, à quo incipiendum est, & sine quo alia non possunt perfici.

### Quæ sunt opera huius præcepti?

Vt aliorum præceptorum, ita etiam huius duo opera constituo. Primum: Animo feriari ab his, quæ impediunt cultum Dei, & corpore quiescere ab illis operibus, quæ te uel alios remorantur à publico ministerio. Alterum adhibere animum, et cogitationem, ad discendum uerbum Dei, interesse piorum conuentibus, diligenter audire sacras conciones, & lectiones, & participatione sacramentorum tuam fidem testari & confirmare.

### Quæ sunt peccata pugnancia cum hoc præcepto?

Omnia referri possunt ad hæc duo. Primum, neq; animo neq; corpore feriari à prophanis operibus, quæ impediunt cultum Dei, & remorantur à publico ministerio. Alterum, non adhibere studium aliquod ad cognoscendum uerbum Dei, non audire sacras conciones et lectiones, non defendere puritatem doctrinæ, nec uti sacramentis  
iuxta

iuxta institutionem Christi. Primum continet manifestum euangelij contemptum & ministerij & crassa peccata, quæ fiunt diebus festis, ebrietates, ludos, negotiationes, seruilia officia non necessaria, & bella, quæ suscipiuntur ad opprimendam doctrinam. Alterum continet prostitutionem doctrinæ, prophanationem sacramentorum, & ceremoniarum impurationem, quæ Deus instituit.

### Quomodo prophanantur sacramenta?

Cum conferuntur ad questum & impietatem, ut cum sacramentum altaris fingitur esse sacrificium pro uiuis ac mortuis, cum eleuatur, circumfertur, & reseruatur propter adorationem.

### Quomodo impurantur ceremoniæ diuinitus institutæ?

Per humanas traditiones, ut exempli gratia. In Papatu baptizandi ante liniti erant sputo, & oleo catechumenorum, quo demones expelli docuerunt, post baptismum chrismate, quo qui non fuit perunctus, non potuit esse Christianus, nec percipere Spiritum sanctum, ut Canones habent, & morituri ungebantur oleo infirmorum, non  
ut sa

## DE TERTIO

ut sanarentur, cum esset de eorum uita desperatum,  
sed ut consequerentur remissionem peccatorum.

Quid ni sic facerent & docerent  
cum habeant testimonia  
scripturae?

Scripturam torquent repugnantem, ad stabi-  
liendum manifestum abusum, & impietatem.  
Oleum, quo usi sunt apostoli, & sancti patres,  
habebat alium usum, & aliam significationem,  
scilicet donum sanationis, ut testatur Iacobus.  
Deinde si per oleationes, mentes leuarentur a po-  
testate diaboli, & donarentur Spiritu sancto,  
ante baptismum, quid tum demum prestat bap-  
tismus? ac quorsum opus est baptismo? si huma-  
nae traditiones merentur remissionem peccato-  
rum. Quid meruit Christus? si humanae traditio-  
nes aequantur cultibus a Christo institutis. Quare  
dixit. Frustra me colunt mandatis & doctrina  
hominum.

Sed sabbatum est abrogatum,  
sicut aliae ceremoniae Moysi. Quia  
Paulus inquit, Nemo uos iudicet  
in parte diei festi, aut sab-  
batorum?

Hoc



Hoc praeceptum abrogatum est, quantum ad ceremoniam septimi diei, quae significabat requiem parandam per Christum, in 7. aetate, a peccato, morte, et miseria, et perpetuam celebrationem nominis Dei, post resurrectionem mortuorum in uita aeterna. Haec requies, quia iam coepta est, resurgente Christo, ceremonia septimi diei desijt. Sed tamen quantum ad allegoriam, qua renati significantur ab operibus carnis, id est, corruptae naturae debere feriari, & sequi ductum spiritus Christi, ac perferre, ut uoluntas Dei in ipsis & de ipsis fiat. Item, quantum ad sanctificationem alicuius diei, per publicum ministerium euangelij, & ceremonias a Christo institutas, hoc praeceptum non est sublatum, sed confirmatum per Christum. Ceterum quo die fiat publicum ministerium sabbato, an dominica die, id indifferens est, modo sine superstitione, & offensione piorum fiat.

**V**trum oblatio, quae fit sacerdotibus, pertinet ad obseruationem sabbati?

Sicut ceremonia septimi diei, in specie sublata est, manente interim eo, quod in hoc praecepto est morale, uera sanctificatione sabbati, per ministerium euangelij, & ceremonias noui testamenti: Ita

## DE TERTIO

ti: Ita etiam ceremonia oblationum, & leges de sacrificijs, nihil pertinent ad Christianos, & tamen id, quod morale fuit in oblationibus, scilicet, ut ministri honorificè alantur à populo, manet & pertinet ad sabbati sanctificationem. Ratio. Quia non possunt ipsi incumbere ministerio, si cogantur aliunde sibi parare uictum. Huc pertinet illa Pauli disputatio. i. Corinth. 9. & quod ait ad Galatas: Is qui instituitur, communicet suo doctori de omnibus bonis. Item, qui bene præ sunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè ij, qui præ sunt doctrinæ. Cum igitur uetus sit ceremonia oblatio munerum in missa, à qua etiam est nomen missæ. Nam תְּרוּמָה Hebræis tributū significat et collationem sicut ἀγῶπη, qua uoce pro sacra synaxi usi sunt Greci, significabat eleemosynas, & hæc ceremonia sit recepta, per manus à sanctis patribus, & ueteribus canonibus, & perpetua consuetudine confirmata, facile iudicari potest, inter opera sabbati collocari posse, quæ tria communiter ponuntur, scilicet, ceremoniæ, precatio & oblatio.

Quid igitur de oblationibus sumptuosis et magnificis, quæ fiebant ut celebrarentur anniuersaria, & super quas fundata sunt monasteria?

im/

Improbanda sunt hæ oblationes, quia fiebant, non hoc fine, ut doctores & discipuli euangelij alerentur, sed ut ociosi uentres de publico belluarentur, qui suis missationibus, promereri debebant gratiam & remissionem peccatorum, & in summa, cum illa opinione, cum qua Iudæi cumulabant sacrificia.

### Vtrum Machabæi uiolarunt sabbatum pugnando?

Non, Probo sic. Quia Christus docet, opera dilectionis anteferenda esse ceremonijs, ergo in casu, ubi non simul poterant seruari ceremonie sabbati, & necessaria defensio populi, recte fecerunt Machabæi, præsertim cum non solum defenderent corpora, sed etiam ipsum ministerium.

### Quid sentiendum est de ordinationibus ecclesiasticis?

Triplices sunt ordinationes ecclesiasticæ.

1. Alia enim manifestè pugnant cum uerbo Dei, ut inuocatio mortuorum, & sacrificium missæ pro uiuis ac mortuis. De hoc genere constitutionum tenenda est hæc regula. Vt Eua peccauit obtemperans diabolo hortanti, ut contra Dei mandatum faceret: Ita peccant omnes, qui obtem

E perant

## DE TERTIO

perant legibus, & edictis, quæ iubent facere contra mandata Dei, siue leges illæ ab episcopis, siue regibus, siue alijs magistratibus propositæ sunt. Probatio ex uoce apostolorum. Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.

2. Aliæ sunt ceremoniæ de rebus quæ non pugnant cum uerbo Dei, sed cum eo conueniunt, si his rectè utamur, id est, ad gloriam Dei, & utilitatem nostram, ac ecclesiæ exædificationem. Hæ sunt duplices.

1. Quædam pertinent ad singulos, ut cælibem esse, uel ducere uxorem, ieiunare, aut non ieiunare.

2. Aliæ pertinent in commune ad omnes, ut conuentus publici ad audienda sacra.

De priori genere & rebus, quæ pertinent ad singulos, non possunt tradi generalia præcepta ad omnes, sed quilibet est relinquendus iudicio suæ conscientiæ, possunt tamen fieri generales exhortationes, ut Paulus consulit cælibatum propter instantem necessitatem, his qui habent donum continentiæ. Item exhortandi sunt omnes ad ieiunia, preces, & eleemosynas, sed impiæ sunt leges & traditiones humanæ de cælibatu & abstinentia, à cibis, quia pugnant cum libertate Christiana, & habent præterea annexas multas impias  
opinionēs

opinionēs, quae ledunt gloriam Dei. Est autem gloria Dei finis omnium actionum, quae fiunt in fide.

De posteriore genere rerum, quae pertinent ad omnes & conferunt ad ordinem & disciplinam, possunt esse generalia mandata & leges sub poena aliqua, ut contemnentes ministerium, & sacramenta possunt excommunicari, & Paulus praecipit, ut mulieres in uestitu modesto orent cum silentio in ecclesia. Quando igitur constitutiones, quae pertinent ad ordinem & disciplinam publicam, consentiunt cum uerbo Dei, aut habent exemplum, aut rationem manifestam suae utilitatis debent obseruari, nec sunt de rebus indifferentibus, quia possunt reuocari ad decalogum.

## SECUNDA TABULA

### DE QVARTO PRAECEPTO.

**P**RIMO dicendum est de ordine seu methodo. Prima tabula tradit opera, per quae cum Deo proprie, & immediate agimus, & quae pertinent ad propagandam ueram doctrinam de

E 2 Deo.

## DE QVARTO

Deo, & uerum cultum ipsius interiorcm, & exteriorcm. Secunda tabula continet officia, per que inseruimus proximo, & necessaria sunt, in communis uitæ societate. Traduntur autem hoc ordine, ut id, quod maxime necessarium est, præcedat. Est autem in omni republica, adeoq; in omni æconomia primum opus gubernatore, seu capite, retinente & conseruante ordinem, ac societatem. Ideo primum præceptum secundæ tabulæ est de obedientia erga parentes, quorum nomine continetur omnis legitima potestas, & uterq; magistratus, ciuilis & ecclesiasticus. Nam hi in republica & ecclesia id esse debent, quod parentes sunt in familia & æconomia.

Sunt ne opera secundæ tabulæ etiam cultus Dei?

In hominibus pijs, qui intelligunt, se diuina uoce adigi ad hæc officia, & propter Deum ea præstant, in timore Dei, & fide Iesu Christi, propter quem credunt, hanc eorum imperfectam obedientiam Deo placere, quæ fit ad ornandam gloriam Dei, sunt cultus. Sed in impijs & hypocritis, qui sine uera notitia Dei, sine fide in Christum præstant externa officia, non propter gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi, sed propter  
finem

finem politicum non sunt cultus Dei. Exemplum primi. David ideo gerit bellum, ut defensa patria conseruetur uera religio, & sanctificetur nomen Dei. Ideo hoc ipsius opus est cultus Dei. Exemplum secundi. Scipio Africanus gerit bellum, ut defendat rempublicam, propter aliquem finem politicum, & non ad ornandam gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Ideo ipsius certamina non sunt cultus Dei. Item externa disciplina facta ad promerendam remissionem peccatorum, & uitam eternam non est cultus Dei, quia contumelia afficit Christum, qui hac nobis suo sanguine meruit, & parauit.

### Proba opera in fide facta esse cultus Dei.

Maior propositio ex definitione cultus Dei.  
Cultus est opus Deo placens, cuius finis immediatus, aut praecipuus est, ut Deus honore afficiatur

Minor.

Sed Christus ait: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificetur pater uester, qui in caelis est.

Conclusio.

Ergo opera praceptorum secundae tabulae, cum sunt ad gloriam Dei, sunt cultus.

E 3 Altera

## DE TERTIO

*Altera ratio. Quia hanc ob causam conditū sumus ad societatem, ut alij alios de Deo, & de ipsius uoluntate doceant. Ergo cū singulorum officia sint exercitia timoris, fidei & confessionis, & fiant ad gloriam Dei, sunt cultus.*

*Tertia ratio ex prophetis, ut Oseas inquit: Misericordiam magis uolo, quā sacrificium.*

**Quare Deus in hoc præcepto nihil dixit de officio parentum & de officio magistratus?**

*Quia illorum officium est expressum in alijs præceptis legis, quæ est ipsa uox gubernatoris.*

### Declara.

*Magistratus est custos legis, igitur debet curare, ut populus doceatur de Deo, & assuefiat ad ueram inuocationem & ceremonias diuinitus institutas, & coercere cædes, libidines, furtum, mendacia. Ad hunc modum parentes sunt custodes legis in œconomica disciplina.*

**Vbi hæc traduntur expresse in sacris literis de officio parentum et magistratus?**

*Paulus breuiter complexus est officia parentum*

tum



tum, & magistratus, Ephes. 6. Patres ne prouocetis ad iram liberos uestros, sed educate eos in doctrina, & disciplina domini. Tria igitur complexus est officia parentum. Primum, ut alant liberos. Alterum, ut erudiant. Tertium ut castigent.

### Quid interest inter humanas & diuinas leges, de officio parentum?

Humanæ leges iubent alii corpora natorum, & puniunt crudelitatem parentum. Diuinæ autem etiam præcipiunt de doctrina religionis, & de honestis artibus, quarum usus utilis est in gubernatione, & in negotijs huius uitæ. Sicut Moyses dicit: Narrate ea filijs uestris. Et Psalmus eadem uerba repetit, & addit, ut ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei. Et Paulus ad Titum ultimo. Discant nostri præesse honestis officijs, &c.

### Quæ est sententia huius dicti?

Id est, discant doctrinam religionis, iura, medicinam, aut alias artes laude dignas, ut ecclesiæ & reipublicæ seruire possint.

E 4 Pertinent

## DE QVARTO

### Pertinent ne hæc omnia ad officia magistratus?

*Eadem cura pertinet ad magistratus, quæ ad parentes. Debent igitur constituere ecclesias, & scholas, punire Epicureos, idololatrias, defensores impiorum dogmatum, periuros, magos, tueri pacem, pudicitiam, facultates, exercere iudicia, iuxta præcepta secundæ tabulæ.*

### Proba ex testimonio scripturæ.

*Paulus iubet precari pro magistratu, ut tranquillam agamus uitam in omni pietate, & honestate. Ergo magistratus debet punire impietatem & inhonestatem, depellere latrocinia, retinere pacem, quia hic est finis pacis, ut conseruentur pietas, & honestas, ut ecclesia doceri, iuuentus institui & mores regi possint.*

### Quid significat honor in præcepto: Honora patrem & matrem, &c. Et quibus debetur?

*Honor continet duo: interiorem reuerentiam & externam obedientiam. Debentur autem duo hæc, primò personis parentum, & magistratum, & doctorum. Deinde etiam ordine politico, ecclesiastico & œconomico.*

*Quid*

Quid est ordo politicus?

*Ipsa legis diuinæ in externa disciplina conseruatio.*

Vnde, & ad quem finem institutus?

*Diuinitus, & ad retinendam societatem ciuilem.*

Proba ei deberi obedientiam.

*Maiores.*

*Ordinationi, ac legi Dei debetur honor,*

*Minores.*

*Sed ut hæ gratissimæ uices temporum, dici ac notis, æstatis ac hyemis, et leges motuum cœlestium uerè sunt ordinatæ à Deo: Sic Deus uerè est autor totius societatis humanæ. Deumxit homines inter se, coniugio, procreatione, & educatione liberorum, mutuis contractibus & officijs, & additur notitia legis, tanquam munimentum huius societatis.*

*Conclusio.*

*Igitur debetur honos ordini politico.*

Possunt ne institui, & recte administrari imperia humanis uiribus sine diuina ope?

E 5 Non

## DE QVARTO

Non. Ideo enim Deus excitat, & adiuuat gubernatores, & suam legem ipse exequitur, gubernat, & armat manus magistratum, in puniendis flagitiosis libidimbus, furtis, &c. ut conseruari societas possit.

Quid cum tyranni hæc scelera designant?

Mutat ipse Deus imperia, & excitat uicinos reges, aut populos, qui puniant tyrannos, & constituent honestam disciplinam. Exempli gratia. Ita imperio ablato à Chaldæis, & Assyrijs, summa potentia translata est ad Cyrum regem Persarum, qui puniuit tyrannos, defendit ecclesiam, restituit leges, iudicia, & disciplinam. Aliud. Ita deleto Antonio, Deus tradidit imperium Augusto

Adde sententiam scripturæ.

In hanc sententiam Daniel ait: Deus constituit & transfert regna.

Quomodo per rationem intelligi poterit, quod ordo politicus sit diuina ordinatio?

Clarius conspicitur huius ordinis pulchritudo

¶

*Et utilitas, si sine personis consideretur, in hominum consociatione, coniugio, iudicijs, legibus, & disciplinis.*

**Qua ratione in oeconomia conspicitur huius ordinis pulchritudo?**

*Quid potest cogitari pulchrius, quam honesta societas mariti & uxoris, ac liberorum, cum inter se amant, iuuant, certant officijs mutuis, colloquuntur de Deo, inuocant una uoce Deum? &c. In hoc ordine, id est, in oeconomia uidemus lucere sapientiam Dei, & mirificam bonitatem seu beneficentiam erga nos.*

**Quomodo conspicitur huius ordinis pulchritudo in politia?**

*Quid est ciuitatis forma iucundius, in qua recte constitutae sunt ecclesiae? Magistratus tuetur disciplinam, ciues obtemperant, sunt concordēs, habent suos coetus, & honestissimos congressus religionis, & iudiciorum causa, in scholis, templis & pratorijs.*

**Sed incurrunt in oculos uitia &**  
con-

DE QVARTO

confusiones in œconomia, & politi-  
tia, contumacia liberorum, aduer-  
sus parentes, discordiæ inter con-  
iuges, tyranni in imperijs, frau-  
des in negotiatoribus?

Discernenda igitur sunt hæc duo, scilicet, or-  
dinatio Dei, leges & iudicia à uitijs. Quia uitia  
oriuntur à Diabolo, & ab humana infirmitate.

Quis igitur honos debetur  
politiciæ ordinationi?

Vt agnoscamus res ipsas, uidelicet coniugium,  
œconomias, ac politias, à Deo institutas esse, &  
ab eo conseruari, ac lucere in his ordinationibus  
Dei prudentiam, sapientiam, bonitatem, & amo-  
rem erga nos.

Quis honor debetur personis  
parentum & gubernatorum?

Vt agnoscamus Dei beneficium esse, quòd pa-  
rentes suum officium faciant, quod habeamus bo-  
nos, & salutes principes, qui conseruant nobis  
ueram religionem, leges, iudicia, pacem.

Quare debemus agnoscere hæc  
esse beneficia Dei?

Quia

Quia leges sine custode infirmæ sunt, ut dicit  
Græcus uersiculus:

ἰσχυροὶ ὁ νόμος ἢ πρὸς ἀρχόντα ἔχει.  
Valida res lex est, cum principem habet.

### Quæ officia pertinent ad hunc gradum?

Primum officium est gratiarum actio, pro ta-  
libus personis. Secundum precatio pro illis. Ter-  
tium obedientia. Quartum reuerentia personæ  
debita. Quintum ueritas seu candor in iudicando  
de omnibus legibus & actionibus. Sextum con-  
donatio aliquarum imbecillitatum.

### Vbi præcipitur gratiarum actio & precatio?

1 Prima ad Timot. 2. Orate pro omnibus.  
Adde rationem.

2 Quia certum est, sapientes, iustos, et felices  
gubernatores singularia Dei dona esse, ut Salo-  
mon grauiſsimè dicit: Ut oculus uideat, & auris  
audiat, Deus facit utrunq;. Oculus significat gu-  
bernatores, auris populum audientem. Ut igi-  
tur hæc sint in officio, id est, ut magistratus sit ui-  
gilans, & intentus, & prospiciat communi utili-  
tati, ut adsit authoritas, quæ moueat subditos, ut  
assen-

## DE QVARTO

assentiantur bene monenti, haud dubiè Dei opera sunt.

3 De obedientia extat præceptum Romano. 13. Necessè est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

4 De reuerentia personæ debita, cum Dei præsentia agnoscenda sit in bona gubernatione, si persona diuinitus gubernetur, & hanc quoq; amare, & nobis anteferre debemus. Exemplum. Sic uenerantur Ethæi Abrahamum. Audi nos domine, princeps Dei es apud nos. Et mulier Thecuites dicit ad Dauidem: Tu autem mi domine rex sapiens es, habes sapientiam sicut angelus Dei.

Igitur rectè faciunt adulatores, qui tribuunt suis dominis diuinos honores & probant omnia eorum malefacta.

Pij discant, ueram reuerentiam in animo sistam, discernere à fucosis officijs adulatorum, & gradus etiam obseruent: ut tribuamus debita munera, non aliena, sed propria. 5 De ueritate seu candore in iudicandis magistratum actionibus, præter generalia præcepta, de non mentiando, non dicendo falso testimonio, est etiam illud speciale: Dijs non detrahas, & principi populi ruine



ne maledicas. Item: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

6 De condonatione imbecillitatum extat praecipuum Petri: Obedite dominis, non solum bonis, & aequis, sed etiam morosis.

### Quid sentiendum est de tyrannis?

Tenenda est haec regula. Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.

#### Licet ne illis resistere?

Priuatim personis non licet, sed graui confessione suam fidem testentur, & se consolentur contra iniustam uim ex diuinis promissionibus, his ac similibus sententijs: Nolite metuere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Debent ne igitur etiam summi ordines concedere tyrannis licentiam omnium icelerum?

Non. Ratio. Qui sunt pars publici consilij, ad eorum officium pertinet, remouere tales furias a gubernatione, & defendere pios. Exemplum. Ionathas texi t Dauidem. Milites Saulis nolebant interficere sacerdotes. Abdias excepit hospitio

## DE QVARTO

hospitio, & pavit prophetas, quos Iesabel iussit occidi, & Traianus imperator, cum designaret praefectum praetorij, haec uerba dicebat: Hoc ense si iuste imperaui, pro me utere, & si iniuste, contra me utaris.

### Da testimonium scripturae.

Michea 7. princeps postulat, & iudex in reddendo est.

### Quae est sententia?

Deus irascitur conspirationi malorum gubernatorum, & illis minatur exitium commune.

Contra. Christus inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et Rom. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Et Prouerb. 24. Time Deum fili mi, ac regem, & seditionis non te adiungas, quia subito peribunt.

Haec sententiae loquuntur de priuatis personis, qui cupiditate uindictae, propria autoritate mouent seditionem, non loquuntur de summis ordinibus, & magistratibus, quibus Deus gladium dedit ad defensionem piorum.

Quid

## Quid complectitur obedientia debita magistratui?

Benevolentiam animi, & omnia officia legitima, scilicet operas militiae, & similes necessarias ad communem defensionem societatis humanae. Item, tributum, & collationem facultatum.

## Vnde oritur benevolentia?

Ex illis ipsis fontibus qui honorem, seu reuerentiam pariunt, scilicet, quia scis politicum ordinem esse Dei opus, ac lucere in eo Dei sapientiam, & bonitatem erga genus humanum. Vides & magnitudinem utilitatis.

## Quæ sunt officia legitima?

Omnia honesta opera legibus mandata, ut cum prohibet magistratus cædes, iniurias, libellos famosos, gestationem armorum, obscœnas saltationes, &c.

## Quæ sunt opera militiae?

Quæ in causis honestis ciues suscipiunt, delecti à suis dominis, ad communem defensionem, in acie, in obsidionibus, in excubijs, &c.

Proba Christianos debere hæc officia, quæ pertinent ad communem defensionem.

F Quia

## DE QVARTO

Quia Ioannes ait, i. epist. cap. 3. Si Christus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere. Quare Christiani defensionem Christianis, contra Turcas & Tyrannos debent.

Sed nunc si Deo placebit, aspiciemus aliquot millia piorum, qui confitentur nobiscum eandem doctrinam religionis, uicinis prouincijs iugulari ab impijs militibus, hostibus religionis, proditoribus patriæ, & parricidis, neq; succurremus, imò insultabimus uictis, cum simus in eadem nauis, ac idem nobis periculum, & maius etiam oppressis illis impendat, nisi uelimus negare euangelij doctrinam.

En quò discordia ciues  
Perduxit miseros?

Quid uocas tributa?

Ordinarias, & extra ordinarias pensiones, & collationes, si tamen probabilis ratio sit confirmata.

Proba has deberi.

Ratio à maiori ad minus. Ciues cum opus est, debent uitam impendere reipublicæ. Igitur iustum est eos ad communem defensionem conferre pecuniam.

Quare

**Q**uare dicitis, si sit iusta ratio?

Ut peccant principes, cum in bellis iniustis obijciunt ciues trucidandos hostibus, ita peccant si sine probabilibus causis, super usitatas & ordinarias pensiones, nouis & immoderatis extorsionibus prouinciam expilant. Altera ratio. Principes & magistratus subiecti sunt legi diuinae. Non furtum facies, sed distincte sunt res principum, & ciuium, igitur debent ab eorum bonis.

**P**roba ex scriptura.

Quia Baptista inquit: Non plus quam constitutum est, exigite. Item: Contenti estote stipendijs uestris.

**D**e promissione addita huic praeccepto, ut sis longaeuus super terram, quae est sententia?

Id est, Ut tranquillam, & suauem uitam degas, diu fruaris honesta uoluptate, et felicitate in fortunae bonis. Et Paulus ad Ephe. 6. ait. Hoc esse primum praecceptum secundae tabulae, quod habeat promissionem.

Contra, Ionathas pius & obses  
F ij quens

DE QVARTO  
quens patri, in honestis & licitis  
occiditur cum patre.

Tamen durat ipsius posteritas, quingentis annis post extinctam familiam Saulis. primo Paral. 8. Hæc & similia exempla iuuentus consideret, & discat uerè Deo curæ esse, etiam corporis bona, & dari ea pro officijs disciplinæ erga parentes, magistratus, & præceptores. Consideret quanti sint labores, quantæ curæ educationis, quàm uerus amor parentum erga liberos, quantâ beneficia institutionum, pro his tantis rebus agnoscant se debere gratiam.

Quæ est comminatio addita  
huic præcepto?

Immatura mors, & luctuosa uita, plena infelicitate. Cain maledicitur à patre suo. Filij Eli, & Absolon filius Dauid miserè perierunt.

Quæ obedientia debetur ministris euangelij?

Dilectio, reuerentia, uictus, defensio. i. Thes. ultimo. Eos qui præeunt in uerbo, diligite excellenter. Hebræ. ult. Obedite doctoribus uestris, obtemperantes cum gaudio. i. Corinth. 9. Dominus

minus constituit, ut qui euangelium annunciant,  
de euangelio uiuant.

## DE QVINTO

## PRAECEPTO,

Non occides.

Quæ est ratio ordinis inter  
quartum & quintum  
præceptum?

**P** RIMI inter proximos sunt parentes, &  
magistratus, qui ex officio debent præesse  
disciplinæ conseruandæ. Ideo constitutis cu  
stodibus disciplinæ, iam sequuntur præcepta ad  
singulos, quæ arcent iniurias. Summa autem quæ  
proximo inferri potest iniuria, est in corpore  
proprio, quæ prohibetur hoc præcepto: Non  
occides.

Quæ est sententia?

Neq; animo neq; sermone, neq; facto, debes  
nocere proximo in ulla re, quæ uitam aut corpus  
eius lædant.

Quæ sunt opera huius  
præcepti?

F 3 Duplicia

## DE QVINTO

Duplicia sunt, sicut omnium aliorum præceptorum, scilicet non solum illa, quæ manifestè prohibentur in negatiuo præcepto, sed etiam quæ præcipiuntur in affirmatiuo, quod huic è regione respondet.

### Quæ sunt opera affirmatiuæ legis?

Interiora sunt uirtutes, mansuetudo, placabilitas, clementia, & ὠλεκεῖα, in mitigandis pœnis, & λοςοργία, ut afficiamur aliorum malis. Item misericordia, patientia, dilectio inimicorum. Exteriora sunt officia harum uirtutum, defendere & iuuare proximos consilio, pascere esurientes, uestire nudos, uisitare infirmos & in carceratos, & alia opera misericordie, quæ Christus enumerat Matth. 25.

### Quæ sunt peccata pugnantia cum lege negatiua?

Et illa rursus duplicia sunt, scilicet interiora & exteriora. Interiora sunt cupiditas nocendi, odium, maleuolentia, & λοςοργία, quæ non afficitur aliorum iniurijs, non suscipere curam defensionis eorum, quibus hanc debemus. Postremò etiam irasci fratri, non diligere inimicos. Sic enim Christus hoc præceptum interpretatur, Matth. 5. c.

Externa



Externa sunt, ledere alterius corpus factis, consilio, auxilio, approbatione, & neglectione defensionis ipsius, Huc pertinet illud dictum Ambrosij: Si uidisti esurientem, et non pauisti, occidisti.

### Contra hanc sic argumentor.

Odiū est licitū, uindictae & caedes sunt licitae. Igitur licet occidere. Antecedens probatur. Quia Dauid ait: Perfecto odio oderam eos. Et lex praecipit blasphemos & maledicos erga parentes, & transgressores aliorum praceptorum occidi. Et Paulus ait ad Roman. 13. Non frustra gladium gestat, Dei minister est, uindex ad iram.

Respondeo. Communis & simplex solutio est, duplex esse obiectum odij, unum est peccatum, seu impietas in homine. Alterum est ipsa persona peccans. Et Dauidem quidem loqui de primo obiecto, sed quantum ad praceptum de altero obiecto, odiuit Dauid impietatem in impijs, uel impios propter impietatem. Duplices etiam fiunt caedes, & duplex est uindicta, scilicet una fit ex priuata cupiditate, altera ex publica autoritate, uel officio. Primum genus caedis & uindictae prohibetur, & aliud praecipitur magistratui.

Ad magistratus officium pertinet uindicta publica, et legitima etiam bella, ut Mose, Iosue, Dauid

## DE QVINTO

ex præcepto Dei gerunt bellum. Phinees laudatur, quòd occiderit Israhelitam cum Moabitide, & Iehu, qui sustulit posteritatem Achab. Sic Elias Heliscus, & Petrus occiderunt impios, & Constantinus repressit tyrannidem Licinij. Sed ut summus gradus potestatis publicæ est bellum, ita hoc in maximo abusu est, ac rarissima sunt iusta ac legitima bella, quia diabolus cùm sit homicida et inimicus politico ordini et disciplinæ, sæpe leuissimis occasionibus excitat ingentia bella, incensis animis utrunq; iniusta cupiditate. Hæc atrocinia tollerat Deus, ut puniantur utriusq; partis scelera. Sicut bellum Peloponesiacum, quod fuit exitiosum toti Græciæ ex leuissimis causis ortum est, cæso quodam luco, qui ritibus ethnicis habebatur pro consecrato, & quòd Pericles incanduerat, offensus conuitijs, quæ erant dicta in Aspasiam. Nec summum ius præsertim in causa leui, satis iusta causa est inferendi belli, sicut dicitur: Sæpe summum ius summa est iniuria. Sed accedere debet æquitas, quæ etiamsi qua incidit offensio, tamen potius sanare eam curet, quàm propter paucorum errata seuire in innocentes, nocere in infinitum ecclesijs, & reipub. Et sciant gubernatores, bella debere esse uindictam diuinam, non debere seruire humanæ cupiditati,  
aut

aut temerariae iracundiae, sicut Abigail ait ad Dauidem. Quia praelia Domini praeliaris, non inueniatur in te malum.

Quæ est promissio addita huic præcepto?

Multæ sunt promissiones additæ operibus præcepti affirmatiui. Beati mites, quia possidebunt terram. Remittite & remittetur uobis. Comminatio ad transgressores fit. Qui irascitur fratri suo, reus erit. Item: Sic faciet uobis pater meus coelestis, nisi remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. Et horribilis est comminatio ad omnes homicidas. Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, uagus & profugus eris in terra, omnis qui inueniet me interficiet me. Qui effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis ipsius. Qui gladium acceperit, gladio peribit, & Deus retrahit homicidas ad supplicia, etiam cum effugerunt manus magistratus, & neces tyrannorum mouentium iniusta bella & crudeliter imperantium monstrant Deum punire tyrannos, & sanguinarios, de quibus Psalmus ait: Virum sanguinarium & dolosum abominabitur Dominus, & noti sunt uersiculi:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci  
Descendant reges, & sicca morte tyranni.

F 5 De

DE SEXTO  
DE SEXTO  
PRAECEPTO,

Non moechaberis.

Quæ est sententia sexti præcepti?  
NON MOECHABERIS?

**H**OC præcepto non tantum prohibetur adulterium, sicut Bartolus & Baldus, & alij iurisperiti, & Sophistæ docuerunt, qui affirmant simplicem (ut uocant) fornicationem non esse peccatum, sed etiam omnis concubitus extramatrimonium, & omne genus immunditiæ, ac ipsa etiam cordis concupiscentia. Sicut Christus ait, Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo

Quæ sunt opera huius  
præcepti?

Duplicia sunt præcepta in omni gradu decalogi, scilicet affirmatiua & negatiua, & utraq; præcepta habent duplicia opera, scilicet interiora & exteriora. De operibus exterioribus negatiui præcepti extat catalogus 1. Cor. 6. Neq; adulteri, neq; scortatores, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, regnum Dei possidebunt. Prohibentur etiam hoc præcepto uitia ui-  
ciosa

ē in a libidini, ebrietates, commessationes, impudicitia, Rom, 3. & Ephes. quinto. Nolite inebriari uino, in quo est luxuria, Item impudici gestus, & obscœnus sermo, quem Paulus uocat λόγος σάπρος, καὶ εὐφραπέλιαν, καὶ ἀιχρὸύτα, καὶ μωρολογία. Ad Ephes. 4. & 5. cap. Opera interiora prohibita in hoc præcepto sunt concupiscentiæ quarumcunq; libidinum.

**Q**uod est præceptum affirmatiuum, & quæ sunt eius opera?

Affirmatiuum præceptum est I. Corinth. 7. Unusquisq; suam uxorem habeat, ad uitandam scortationem. Item: Si non continent, contrahant matrimonium. Item unusquisq; sciat suum uas possidere in sanctificationem & honorem. Item crescite & multiplicamini. Opera interiora præcepti affirmatiui sunt, puritas uel mundities mentis, resistere concupiscentiæ, frenare impetus & extinguere incendia. Exteriora opera sunt castitas coniugalis, uirginitas, uel uerus coelibatus, temperantia, abstinentia, sobrietas, uerecundia, & pudicitia in uerbis & factis, & per antithesin uitia cum his pugnantia, & impudici gestus, aspectus, et sermones pugnant cū hoc præcepto.

Quæ

DE SEXTO

Quæ est comminatio addita  
ad transgressores?

Interficiatur tam adulter quàm adultera. Leu.  
20. & Deu. 22. Item adulteri & scortatores re-  
gnum Dei non consequentur. 1. Cor. 6. Gal. 5.  
Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Heb.  
13. Huc pertinent exempla tradita in sacris libris,  
sicut in euersis Sodomis, in diluuiio, in uiginti tri-  
bus millibus uno die occisis, Nume. 33. In delecto  
tribu Benjamin, in libro iudicum. In exilio Da-  
uidis, in euersione Troiæ, Athenarum, & alia-  
rum ciuitatum Græciæ ac Italiæ, & ipsius urbis  
Romæ. Nam historie testantur has esse euersas  
propter adulteria & libidines. Troia euersa est  
propter raptam Helenam. Romæ tota resp. mu-  
tata est propter Lucretiam ui compressam. De-  
inde propter Appij scelus, qui Virginei filiam ra-  
pere conatus est, Lacedemonij uicti ad sepulchra  
puellarum, quas ui rapuerant duo Laconici iuue-  
nes, & postea interfecerunt. Ac certissimum si-  
gnum est impendentis exitij imperijs & ciuitati-  
bus, quando ad ipsa uitia accedit impunitas, &  
contemptus peccati, sicut prob dolor, fit hoc no-  
stro tempore. Nam Esaias clarè ait in hanc sen-  
tentiam, peccatum suum sicut Sodoma prædica-  
uerunt.

Pro-

Promissiones additæ ad  
obseruatores.

Vxor tua sicut uitis abundans, in lateribus do-  
mus tuæ, filij tui sicut nouelle plantationes oliua-  
rum, &c. Psal. 132. Ecce sic benedicetur homo,  
qui timet dominum. Huc pertinent exempla. Noa  
uir iustus in suis generationibus seruatus est in di-  
luuio, & Loth in Sodomis.

Quomodo fit hoc præceptum  
cum nemo careat concu-  
piscencia?

Quando agnoscimus immundiciem nostram,  
& fide statuimus nobis hanc condonari propter  
fidem in Christum, & repugnamus concupiscen-  
tiæ, abstinemus ab impudicis sermonibus, gestibus  
& omni occasione libidinum, & ab omnibus, quæ  
incendant concupiscentiam.

DE SEPTIMO  
PRAECEPTO,

Non furaberis.

Dic de ordine.

Summum

## DE SEPTIMO

**S**VMMVM *damnum, quod potest inferri proximo, est in corpore proprio, id prohibetur in quinto præcepto: Non occides. Hoc ordine sequitur damnum in corpore coniugis, quod prohibetur sexto præcepto: Non mœchaberis. Post corpus proprium & corpus coniugis prohibentur damna, quæ dantur in bonis, hoc septimo præcepto: Non furtum facies.*

**Quæ sunt prohibita in hoc præcepto negatiuo**

**NON FVRTVM FACIES?**

*Interiora peccata sunt  $\omega\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\xi\iota\alpha$ , id est, cupiditas multa habendi seu auaritia, seu studium pecuniæ, & anxia sollicitudo pro huius uitæ bonis, & diffidentia de promissione panis quotidiani. Nam ex hac diffidentia oritur sollicitudo de uictu, & fortunis, quæ impellit homines, ut insidientur alieno. Deinde prohibentur ambitio inordinata cupiditas honoris, gloriæ, gradus officij, beneficij, circumuentio alterius, & cæteræ male artes, doli & fraudes excogitatæ, ut præuenias, & opprimas tuum fratrem in quocunq; negotio, sicut Paulus ait: Exteriora sunt furta, rapinæ, latrocinia, sacrilegia, iniustæ expilationes, usuræ, & omnes contractus prohibiti, mendicitas*



*dicitas non necessaria, negligentia in curandis et custodiendis facultatibus proprijs, aut aliorum fidei tuæ commissis, prodigalitas, corruptelæ, quibus emuntur patrocinia in malis causis, mercedes iniustæ, imposturæ in mercibus, iniusta aucupia, tenacitas in dandis necessarijs eleemosynis ad iuuandam ecclesiam & rempublicam.*

### Quæ sunt opera præcepta in lege affirmatiua?

*Interiora sunt uirtutes, liberalitas, munificentia, studium iuuandi pauperes, & miseros, quibus per potentiam & malas artes, eleemosynæ ipsis datæ, aut res eorum propriæ eripiuntur, conferuntur alijs, aut in alios usus, iuste parato, aut relicto, parcè & frugaliter uti, tua opera parare tibi, quibus opus habes, dare de tuis quantum poteris egenis, & præsertim ministris ecclesiæ, & studiosis doctrinæ euangelij & aliarum bonarum artium.*

### Vnde fluunt opera, præcepto negatiuo prohibita?

*Ex rerum distinctione, uel ut uerius dicam, distinctio rerum probatur ex hoc præcepto, quod cum furtum prohibet, simul etiam concedit, ut quisq; suum retineat.*

**Licet**

DE SEPTIMO

Licet igitur Christianis tenere  
proprium, & esse diuites?

*Licet. Quia Paulus ait I. Timoth. ult. Præcipe  
diuitibus, ne superbiant. Non iubet ut conferant  
res in commune, uel ut non sint diuites, sed ut non  
superbiant de diuitijs. Licet igitur esse diuites.  
Et pertinent dominia rerum ad distinctiones re-  
rum publicarum, regnorum, ac imperiorum, quæ  
euangelium non tollit. Et euangelium uocat reges  
& principes etiam manentes in imperijs ad Chri-  
stum.*

Contrà. In Actis apostolorum  
scriptum est: Et erant illis  
omnia communia.

*Et nunc licet his, qui uolunt habere bona com-  
munia, ut omnia conferant in communi. Sed ta-  
men clare Petrus istic ait: quòd licitum erat Ana-  
nie retinere precium uenditæ possessionis. An  
non, inquit, tibi manebat, & uenundatus in tua  
erat potestate ager? Ergo apostoli non præce-  
perunt, ut credentes euangelio non haberent  
proprium. Apostoli habebant iustas rationes sui  
consilij, de quibus Deo uolente dicam aliàs.*

*Illà una est, quòd omnia bona Christianorum*

*tunc*

tunc diripiebantur ab impio magistratu. Et charitas iubeat ut spoliati suis propter fidem alerentur è publico.

### Quæ sunt eleemosynæ necessariæ?

Quæ fiunt ad conseruationem ministerij euangelij, & quæ egenis, cognatis, ac propinquis, aut alienis etiam, quos præsens occasio nobis commendat. Nam oportet aliquid conferri ad conseruationem ministerij. Quia Christus ait: Dignus est operarius mercede sua. De iuuandis egenis, cognatis & propinquis extat clara Pauli sententia. Si quis suos, & maxime domesticos non curat, fidem abnegauit, & est infideli deterior. De pauperibus & peregrinis extant præcepta in lege Mosi. Et quidem de peregrinis ait: Memento quod & ipse peregrinus fuisti in terra Aegypti.

### Estne modus eleemosynarum diuinitus præscriptus?

Est, & apud Salamonem, & apud Paulum. Salamon inquit: Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorum esto, id est, ex fructibus tui patrimonij largiaris eleemosynam, ita tamen ut fundus sit saluus, & patrimonium sit incolume,

G Et

## DE SEPTIMO

*Et Paulus inquit: Ne uobis sit tribulatio & alijs remissio.*

**Q**uæ sunt poenæ additæ ad inobedientes?

In lege Moysi erat constituta poena restitutionis quadrupli. Sicut Zachæus in euangelio inquit: Et si aliquem defraudavi reddo quadruplum. Nunc sunt aliæ poenæ, acerbiores propositæ in iure ciuili, quod eatenus est iustum, quatenus consentit cum lege naturæ, & præceptis moribus legis Dei.

**Q**uæ promissio est ad obedientes?

Amplissimæ sunt promissiones in Psalmis, & in euangelio: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit: iucundus homo, qui miseretur, & commodat, in æternum non commouebitur. Item: Quicquid fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.

## DE OCTAVO

### PRAECEPTO.

**Dic de ordine huius præcepti ad præcedentia.**

*Prioribus*

**P**rioribus præceptis quinto, sexto & septimo prohibetur uolentia in proprio, & uxoris corpore, ac in facultatibus. Hic prohibentur iniuriæ, quæ fiunt fraude, & dolo, siue manifesta ui.

Quæ sunt peccata prohibita in  
negatiuo præcepto,

N O N D I C E S F A L S U M  
T E S T I M O N I U M ?

Primò prohibetur corruptela doctrinæ religionis. Deinde omnium artium, quæ fiunt fraude, aut petulantia ingeniorum. Tertio omnes calumnie, quæ fiunt in iudicijs à delatoribus, accusatoribus, procuratoribus, & iudicibus. Quarto omnes obtrectationes, libelli famosi, conuitia, contumeliæ, simulationes, deprauationes dictorum aut factorum proximi. Et in summa, omnia mendacia expressa, uel interpretatiua, qualia sunt insidiosa simulatio in moribus, & uita, calumniosa interpretatio eorum, quæ sunt ambigue dicta. Nam diabolicum peccatum est, illa quæ sunt recte dicta calumniari, & diabolus nomen habet à calumnijs, & hæc duo propriè pertinent ad diabolum, mendaciam & calumnia,

G 2 Que

## DE OCTAVO

### Quæ opera requiruntur in affirmatiuo præcepto?

Primo uirtus omnium pulcherrima, Veritas in  
dictis & factis.

Deinde candor, simplicitas, ingenuitas, stu-  
dium refutandi impias opiniones in doctrina re-  
ligionis, & corruptelas in alijs artibus, studium  
defendendi oppressos falsis calumnijs in iudicijs  
& obtreptionibus, studium refutandi menda-  
cia, & maledicentiam. Talis ingenuitas tribuitur  
Achilli apud Homerum, qui ait, se odisse ut mor-  
tem illum, qui aliud dicit aliud sentit. Estq; hæc  
uirtus propria Spiritus sancti, unde etiam dici-  
tur Spiritus ueritatis.

### Quomodo fit hoc præ- ceptum?

Hoc præceptum requirit ueritatem non tan-  
tum in dictis & factis, in iudicijs, contractibus,  
& pactis, sed requirit & postulat, ut hæc refe-  
rantur ad gloriam Dei, & fiant in fide Iesu Chri-  
sti.

### Licet ne reprehendere mani- festa uitia?

Reprehensio, quæ fit autoritate publica, &  
emenda

emendationis causa, non prohibetur, sed priuata  
maledicentia prohibetur.

**T**enentur ne obtrectatores et ma-  
ledici ad restitutionem famæ  
eorum, quos lædunt?

Tenentur, Ratio. Quia melius est bonum no-  
men, quàm diuitiæ multæ. Sed tenentur ad resti-  
tutionem bonorum. Igitur multo magis ad resti-  
tutionē famæ. Et Gerson grauissime inquit: Non-  
nunquam facilius satisfit pro homicidio corpo-  
rali & furto, quàm pro calumnia. Et Anacletus  
Papa ait: Deteriores sunt, qui doctorum uitam,  
moresq; calumniantur, quàm qui diripiunt alio-  
rum prædia.

**V**trum omne mendacium  
est peccatum?

Triplex est mendacium, scilicet perniciosum,  
quod fit cum uoluntate nocendi.

Alterum est officiosum, ut cum occultatur ue-  
ritas propter manifestam utilitatem. Ut cum  
Christus simulat se longius ire. Et Rahab negat  
domi suæ esse exploratores.

Tertium est mendacium iocosum, ut in paræ-  
mijs, & apologis. Tunc sit ista responsio ad quæ-

G 3 stionem

## DE NONO ET DEC-

stionem. Omne mendacium perniciosum est peccatum. Sed alia non sunt peccata, quia non fiunt cum uoluntate nocendi. Ac ne quidem nomen mendacij merentur, quia mendacium est dissimulata ueritate falsum dicere: uel est deprauatio eius, quod dici debebat, contra conscientiam, & cum uoluntate nocendi. Officiosum igitur mendacium & iocosum dici debent ironiæ, uel occultatio rei, quam dici non oportet, uel pictura eius, quod sentimus. Ut in paræmijs & apologis Aesopi, & aliorum similium.

## DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO.

Quæ sunt peccata prohibita in nono & decimo præcepto

**P**RAVAE cupiditates omnis generis, pugnantur cum prioribus præceptis. Hoc enim præceptum interpretatur præcedentia præcepta non tantum de peccatis externis. Sed de cupiditatibus cordis, & discernit hoc præceptum legem Dei à philosophia morali, & legibus humanis, quæ non iudicant concupiscentiam esse peccatum. Concupiscentia continet primos motus

tus



tus, quos scolastici secuti philosophos negant esse peccatum.

**Quæ sunt opera præcepta in legibus affirmatiuis?**

Omnes boni motus cordis, & omnes honestæ affectiones uoluntatis, quarum plena fuit natura integra, sicut Plato etiam agnoscit esse quædam in animis, quæ si adulescere liceret, ad beatam uitam nos perducerent, & illa inquit in Tragœdia: Video meliora proboq; deteriora sequor. Et Aristoteles inquit: Nemo uolens est malus, & nemo aspiciens ad malum aliquid operatur. Sed in natura corrupta boni motus cordis sunt à Spiritu sancto.

**Propter quem finem debent fieri præcepta?**

Non propter promerendam iustificationem, remissionem peccatorum, & uitam æternam, sed ut præstemus qualem cunq; obedientiam erga legem Dei, declaremus nostram gratitudinem, & glorificemus patrem nostrum cœlestem. Sicut Christus inquit: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrem uestrum, qui est in cœlis.

G 4 Quis

DE IX. ET X. PRAEC.

Quis est usus legis?

*Triples est usus legis. Vnus est in disciplina, ut rudes erudiat & coherceat, & hic usus pertinet etiam ad iniustos. Sicut Paulus ait ad Timoth. Lex iustis non est posita, sed iniustis.*

*Alter usus est in doctrina de poenitentia. Lex enim arguit peccatum, & monstrat iram Dei. Sicut Paulus ait Roma. 4. Lex iram operatur.*

*Tertius usus est in iustificatis, & hic rursus triplex est.*

*Primus est in doctrina, ut sciant homines, qui cultus, qualia opera Deo placeant, ne excogitent novos cultus sine uerbo Dei.*

*Secundus est ad mortificandam carnem, & reliquam corruptionem in natura. Sic enim sumus liberi à lege, non quòd lex non arguat peccatum, sed si fide uincamus legem arguentem peccatum.*

*Tertius usus est in praestanda obedientia.*

*Et si autem liberi sumus à lege, ne damnet, tamen manet ordinatio, & uoluntas Dei, ut praestemus qualem qualem possumus obedientiam in hac corruptione naturæ.*

Alter

*ALTERA PARS*  
CATECHESOS,

DE FIDE.

Quid significat fides?

**F**IDES non tantum significat notitiam sacrarum literarum, uel etiam assensionem generalem, sine applicatione promissionis euangelij ad credentes: Sed propriè significat fiduciam, cum aliarum promissionum, tum illius, quæ est euangelij propria, de remissione peccatorum, & applicationem beneficij Christi, ad personam credentem.

Quæ est promissio euangelij?

Propria promissio euangelij est promissio remissionis peccatorum, & uitæ æternæ, gratis, sine nostro merito, propter Christum, & misericordiam promissam per ipsum.

Quomodo differt lex ab euangelio, & promissio legis à promissione euangelij?

Lex est doctrina, quæ docet, quales nos esse

G 5 oporteat

## DE FIDE.

oporteat, & quæ opera Deus à nobis requirat; Euangelium est lætum nuncium, uel renunciatio, de gratuita remissione peccatorum & uita æterna: uel promulgatio exhibitæ promissionis de filio Dei, facto homine, tradito propter peccata nostra, et resuscitato propter iustitiam nostram.

Differunt autem promissiones legis à promissione euangelij unico uerbo uel aduerbio gratis.

Lex promittit uitam æternam, sed addita hac conditione, si faciant legem. Euangelium promittit remissionem peccatorum & uitam æternam sine hac conditione, uel gratis, id est, sine nostro merito, per Christum.

**Contrà.** Euangelium requirit fidem. Igitur promissio non datur gratis?

Verum est, quòd requirat fidem, sed sic intelligo particulam gratis, id est, sine conditione implete legis, neq; enim fides tam perfecta est, quam lex requirit. Fides accipit iusticiam Christi, non meretur, sicut qui porrigit manum ut accipiat beneficium, non propterea meretur beneficium, quod datur ex mera liberalitate.

**Contrà.** Non tantum requirit fidem

fidem, sed etiam poenitentiam.  
 Fides & poenitentia sunt opera  
 legis. Igitur non gratis pro-  
 missio datur.

Scolastici negarent maiorem, quod semper  
 requirat poenitentiam in actu, quia ethnicus au-  
 diens promissionem de Christo, & credens, si  
 subito rapiatur ad supplicium propter confes-  
 sionem fidei, consequitur remissionem peccato-  
 rum & uitam aeternam, etiamsi non doleat de  
 singulis peccatis, ac ne quidem de illis diligen-  
 tius cogitet. Sed requirit poenitentiam in propo-  
 sito, uel si admoneatur. Sed quia haec responsio  
 scolastica est nimis tenuis, ideo aliter respondeo.  
 Duplicem esse poenitentiam, una quae sequitur aut  
 comitatur iustificationem, alia quae praecedit.  
 Poenitentia quae fidem sequitur, uel comitatur, est  
 effectus iustificationis, sicut ipsa mortificatio.  
 Sed poenitentia uel contritio, quae praecedit fidem  
 est sensus irae Dei, & gustus quidam mortis aeter-  
 nae, tantum abest à uiuificatione, & uita, qua iu-  
 stus ex fide uiuit. Poenitentia igitur uel contritio  
 non iustificat, nec meretur iustificationem, alio-  
 qui Iudas poenitens fuisset iustificatus. Summa,  
 promissio non datur propter dignitatem uel ma-  
 gnitu-

## DE FIDE.

gnitudinē nostræ contritionis, sed propter Christum & gratis per misericordiam. Quia autem nemo potest accipere misericordiam, nisi agnoscat opus sibi esse misericordia, & sentiat suam miseriam, ideo ipsa contritio est necessaria, quia est agnitio nostræ miserie.

**Q**uid significat iustificatio?

Iustificatio significat absolutionem à peccato. Rom. 8. Deus est qui iustificat, id est, absoluit à peccato, quis est, qui condemnet?

**Q**uomodo intelligitur hæc propositio?

Iustificamur gratis fide uel sola fide.

Sic intelligenda est. Consequimur remissionem peccatorum, sine nostris meritis propter fidem, et fiduciam misericordie promissæ per Christum.

**Q**uid est fides?

Fides est expectatio rerum, quæ sperantur, & firma persuasio eorum, quæ non uidentur, id est, remissionis peccatorum, & aliorum articulo- rum fidei.

**C**ontra hæc definitio continet etiam spem.

Verum

Verum est, quia fides & spes non possunt di-  
uelli.

**Possunt tamen distingu?**

Et in definitione discernuntur, quia promissio uitae aeternae pertinet ad spem, & persuasum esse de remissione peccatorum, ad fidem.

**Quot sunt articuli fidei?**

In genere sunt tres, in specie, uel numero duo & decim. Primum genus pertinet ad patrem, aliud ad filium, tertium ad Spiritum sanctum. Sed duo postremi continent undecim articulos fidei, in symbolo apostolorum, quod ab apostolis factum esse constat, sicut sanctorum patrum, Cypriani, Ambrosij, Augustini, & aliorum ueterum expositiones in symbolum testantur. Voluerunt enim apostoli Christianos cognosci hoc symbolo, & doctrinam apostolicam per id discerni, ab ethnicorum, iudeorum, & haereticorum dogmatibus.

**PRIMVS AR-  
TICVLVS.**

**Quis est primus articulus  
symboli?**

**Credo**

## DE SYMBOLO

*CREDO in Deum patrem, omnipotentem,  
creatorem cœli & terræ.*

*Quæ est sententia, credo in  
Deum patrem omnipo-  
tentem &c?*

*CREdo illum solum esse Deum, conditorem  
cœli & terræ, mei, & omnium rerum, qui est pa-  
ter Domini nostri Iesu Christi, & omnem meam  
fiduciam in hunc Deum colloco, quia persuasus  
sum, quòd paterna benevolentia me complectatur,  
paternam sollicitudinem pro me gerat, pro-  
pter suum filium, & quòd per hunc suum filium  
condiderit cœlum & terram ex nihilo, cum non  
essent, & ad hunc usq; diem propter me & alios  
suos filios conseruet, & det nobis omnia, sua bo-  
na, unà cum filio, nec ullam creaturam in cœlo,  
& in terra nobis nocere posse, aut nos separare  
à dilectione ipsius, qua nos diligit propter Iesum  
Christum Dominum nostrum.*

*Vnde hæc noua expositio?*

*Ex Paulo, qui ad Romanos 8. exponit hunc  
articulum his uerbis: Scimus, quòd diligentibus  
Deum omnia cooperentur in bonum, his, qui iu-  
xta propositum uocati sunt sancti. Nam quos præ-  
cognouit*



cognouit, eosdem & prædestinauit, fieri conformes imaginis filij sui, quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est, qui condemnet? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & quomodo fieri potest, quòd non omnia nobis cum eo donauerit? Certus sum, quòd neq; mors, neq; uita, neq; ulla creatura poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu.

In Cypriani symbolo ad hunc articulum, CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM: adduntur hæc duo uerba inuisibilem & impassibilem, quæ adiecta esse scribit propter Sabellium & alios hæreticos, quos patrispassianos appellat. Hi docuerunt Deum patrem ex uirgine natum & passum fuisse.

## SECUNDVS ARTICVLVS.

Quis est alter articulus?

Credo in Iesum Christum, filium eius unicum, dominum nostrum.

Quæ est sententia?

Credo in Iesum Christum, id est, omnem meam fiduciam

## DE SYMBOLO

fiduciam in eum repono, propterea quòd per-  
suasus sum & profiteor eum esse meum seruator-  
rem, & Messiam in prophetis promissum, uni-  
cum filium dei naturalem, eiusdem potentiae et ho-  
noris cum aeterno patre, & meum Dominum, id  
est, redemptorem & liberatorem.

### Quomodo filius Dei factus est Dominus noster?

Sequentes articuli, qui pertinent ad humanita-  
tem Christi, exponunt ac primo quidem cum esset  
unigenitus filius Dei, apud suum patrem uerus  
Deus, & distincta à patre persona, impassibilis  
& immortalis, ut fieret Dominus & redemptor  
noster, oportebat eum eiusdem naturae esse nobi-  
scum, ac propterea conceptus est de Spiritu san-  
cto & natus ex Maria Virgine, ut esset sine pec-  
cato, & possit satisfacere pro peccatis nostris,  
quandoquidem omnes qui nascuntur per propa-  
gationem naturalem, afferunt secum peccatum.  
Deinde ut fieret dominus noster, passus est pro  
peccatis nostris, sub Pontio Pilato, iudice, &  
praefecto praetorij Romani, ut impleretur, quod  
dixerat: Tradetur enim gentibus & quidem igno-  
miniosissimum genus mortis est perpeffus, scilicet  
cruce[m], ut satisfieret pro peccato primorum pa-  
rentum

rentum, qui de fructu arboris prohibita comedere-  
runt, & corpus peccati cruce affigeret, & chi-  
rographum, quod contra nos erat, deleret, ac  
consolaretur eos, qui ad ignominiosam & mal-  
dictam iuxta sententiam legis, mortem scilicet  
crucis damnantur. Præterea mortuus est, ut pro  
nobis mortem uinceret, & ut morti nos insultare  
possimus, sicut Paulus ait: Vbi est mors aculeus  
tuus? Vbi inferne uictoria tua? Gratia autem Deo  
qui dedit nobis uictoriam per Iesum Christum.  
Ad hæc sepultus est, ut corpus peccati, quod cum  
eo crucifixum fuit, tegeret, subtus terram à con-  
spectu iræ Dei, & ut tecta sint peccata eorum,  
qui in eum credunt.

### Sed quomodo descendit ad inferos?

Etsi B. Cyprianus in expositione symboli scri-  
bat: Sciendum sanè est, quòd in ecclesiæ Romanæ  
symbolo non habent additum: Descendit ad in-  
ferna. Sed neq; in orientalibus ecclesijs habetur  
hic sermo, uis tamen uerbi eadem uidetur esse in  
eo, quod sepultus dicitur. Tamen paulò post ali-  
ter exponit hunc articulum. Verba eius sunt: Sed  
& quod in infernum descendit, euidenter pronun-  
ciatur in Psalmo. Domine eduxisti ab inferno

H animam

## DE SYMBOLO

**A** animam meam. Item: Non derelinquis animam meam in inferno, &c. Quare non intelligo hunc articulum sicut quidam recentiores, qui sic exponunt, id est, descendit in sepulchrum. Sed simpliciter sic accipio, sicut Paulus ad Ephesios exponit. Descendit ad inferiores partes terræ. Et Petrus ait eum prædicasse apud inferos illis, qui in diebus Noe fuerunt increduli. Imò sic ipse Christus ait: Sicut fuit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti, ita oportet filium hominis tribus diebus ac tribus noctibus esse in corde terræ, id est, in centro, ubi ponunt infernum.

Sed hi omnes articuli pertinent magis ad uilissimum seruum, quàm ad dominum, quomodo igitur per hæc factus est dominus noster?

Ideo sequitur, Tertia die resurrexit à mortuis. Traditus est enim propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, ac tum primum à resurrectione ex mortuis, id est, ab illis qui morte detinebantur propter peccatum, declaratus est filius Dei cum potentia. Tunc enim data ei fuit omnis potestas in cælo & in terra. Ideoq; ascendit

ascendit in coelum, cernentibus apostolis, ut possessionem, & inuestituram uitæ æternæ pro nobis acciperet. Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, in pari potentia & maiestate, ut nos exaudiat, & seruet ab ira Dei sua intercessione, regat suo sancto spiritu, defendat ecclesiam contra furores mundi & diaboli, det bonos & salutare doctores, ad conseruationem ministerij, sicut Paulus docet ad Ephes. 4.

Sed quomodo concordant illa:

INDE VENTURVS EST IVDI-  
CARE VIVOS AC MOR-  
TVOS.

Et: Ecce ego uobiscum sum  
usq; ad consumationem  
seculi?

Quidam interpretantur dexteram Dei, præsentiam Christi in omni loco, sed id neq; ex scripturis, neq; ex patribus unquam docebunt. Est igitur Christus iuxta diuinitatem nobiscum, usq; ad consumationem seculi. Sed non iuxta corporalem præsentiam. Ideo Articulus symboli habet: Inde uenturus est, id est, de cælo. Et angeli ad apostolos: Sic ueniet quemadmodū uidistis cum eun-

H 2 tem

## DE SYMBOLO

*tenent in coelum. Et Petrus ait in Act. 3. Quem oportet coelum continere, usq; ad tempus restitutionis omnium. Et Paulus ad Thes. Quoniam ipse Dominus cum praecepto, & uoce archangeli descendet de caelo.*

Cum dicis. Inde uenturus est iudicare uiuos ac mortuos, uideris affirmare aliquos non esse morituros, & aduersari sententiae Pauli:

Omnes quidem moriemur?

*Imò Paulus clare ait: Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur. Quare magis assentior Hieronymo, qui ait: Quosdam in fine seculi, adueniente Christo, non esse morituros, sed uiuos repertos, repente in immortalitatem esse mutandos, quàm Ambrosio, qui scribit, in ipso raptu eorum, qui uiui reperiuntur mors erit & resurrectio, ubi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddatur. Hoc enim sine auctoritate scripturae dicitur.*

Vbi describitur forma iudicij?

*Matthæi 13. Simile est regnum caelorum ueris riculo*

riculo iacto in mari, & ex omni genere piscium contrahenti, &c. Item cap. 16. Futurum est enim ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique iuxta facta sua. Item cap. 22. & 25. Quia uenit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, &c. 1. Corinth. 15. Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur, 2. Corinth. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. 1. Thess. 5. Fratres ipsi planè scitis, quòd dies ille domini, ut fur in nocte, ita uenturus sit.

### Feret ne Christus sententiam ex lege?

Ita, sed non ut Iudæi, & hypocritæ intelligunt legem. Verùm sicut ipse in euangelio eam exponit, scilicet, quòd in ea reuelatur ira Dei contra impietatem omnium hominum, qui non credunt euangelio, & finem legis esse Christum, ad iusticiam omni credenti, & in hanc sententiam ipse ait: Sermo, quem locutus sum, iudicabit eos in nouissimo die. Item: Qui non credit, iam iudicatus est.

H 3 Contra

## DE SYMBOLO

Contrà. Cur igitur Christus allegat opera, Matth. xxv. Esuriui & dedisti mihi cibum?

Christus primò clarè ait, Credentes esse electos & benedictos à patre suo, ante constitutionem mundi. Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod paratum est uobis. Deinde ostendit opera piorum placere propter fidem, cum ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Tertio declarat hypocritas, & impios damnari propter incredulitatem, & frustra gloriatos esse de iusticia, per obseruationem legis, quàm diu uni ex meis non fecistis, nec mihi fecistis.

## DE TERTIO ARTICULO.

Quis est tertius articulus symboli?

CREDO in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam eternam.

Quæ est sententia?

Credo in Spiritum sanctum, id est, omnem meam  
am



am fiduciam in illum colloco, quia confiteor eum esse uerum Deum, eiusdem naturæ cum patre & filio, & distinctam ab utroq; personam, qui procedit à patre, ac mittitur à filio, ad sanctificandam ecclesiam.

### Quid uocas ecclesiam?

Communione sanctorum. Consistit autem hæc sanctorum communio, in duabus rebus, scilicet in eadem doctrina, & iisdem sacramentis, unde etiam sacramentum altaris  $\kappa\lambda\iota\sigma\omega\epsilon\kappa\delta\omicron\chi\tau$  dicitur communio sanctorum.

### Quomodo Spiritus sanctus sanctificat ecclesiam?

Per hæc duo scilicet per remissionem peccatorum, in hac uita, & per carnis resurrectionem ad uitam æternam.

### Quomodo fit remissio peccatorum?

Spiritus sanctus per prædicationem poenitentiae, & remissionis peccatorum, in nomine Christi, est efficax in animis, & mouet corda, ut assentiantur euangelio, & accendit in mentibus credentium nouam uitam & lucem, & motus spirituales, timorem, ac amorem Dei, ac proximi.

H 4 Igitur

DE SYMBOLO

Igitur sanctitas ecclesie in hac  
uita consistit in remissio-  
ne peccatorum?

*Etsi nouam obedientiam sequi oporteat in res-  
natis, tamen quia hac sanctitas ecclesie est imper-  
fecta, precipue consistit in remissione peccato-  
rum.*

Quomodo sanctificat Spiritus  
sanctus ecclesiam per carnis re-  
surrectionem ad uitam  
aeternam?

*Quia in carne, & corrupta natura heret per-  
petuo peccatum in hac uita. Ideo oportet hoc cor-  
pus carnale et animale mori, ut peccatum, quod ei  
inseparabiliter adheret, aboleatur, & rursus ex-  
citari spirituale, sine peccato, ut possit Deo per-  
fecte obedire, in aeterna uita, & eum perpetuo  
celebrare. Sicut Paulus ait Ro. 8. Si spiritus Chri-  
sti habitat in uobis, is qui excitauit Iesum a  
morte, excitabit etiam mortalia  
corpora uestra per spiritum  
suum, qui habitat in  
uobis.*

De pre-

DE PRECATIONE  
DOMINICA.

Dixisti de duabus primis parti-  
bus doctrinae Christianae, scilicet de  
lege uel decalogo, et de sym-  
bolo, quae est tertia pars  
catecheseos?



**H** *ST* institutio de oratione dominica,  
id est, quam Dominus noster Iesus  
Christus iubet nos orare. Cum oratis  
inquit, sic dicetis: **PATER** noster,  
qui es in caelis, &c.

Quae est ratio ordinis inter has  
partes catecheseos?

*Lex requirit Spiritum sanctum, qui fide con-  
cipitur. Fides est donum Dei. Igitur ut credamus,  
ac bene operemur, necesse est nos orare.*

Tenemur ne praeccepto Dei ad  
orandum, an liberum etiam  
est non orare?

*Tenemur praeccepto Dei, & quidem Deus non  
solum iubet nos orare, & formam orationis no-*

H 5 bis

## DE ORATIONE

*bis per filium præscribit, sed etiam inuitat ad orandum, proposita amplissima promissione. Petite, inquit, & accipietis. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, fiet uobis.*

**Tamen cum aspiciamus nostram indignitatem non possumus non dubitare utrum exaudiamur?**

*Contra hanc dubitationem Christus in Ioanne ad præceptum, petite in nomine meo, addit dulcissimam & firmissimam consolationem. Et non dico quòd ego orabo patrem pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis. Hic Christus causam amoris Dei erga nos, cui ninitur oratio, transfert à nostra dignitate in amorem nostrum erga Christum. Quantumcunq; igitur sis indignus, tamen si amas Christum, debes certò statuere te amari à Deo patre. Sed hic amor erga Christum, ut sit uerus, necesse est ut proficiscatur ex uera fide et cognitione ueræ doctrinæ. Nam stultus zelus præter scientiam non est amor Christi. Est igitur petendum in nomine Christi, & non propter merita & intercessionem sanctorum?*

*Nulla*

Nulla extat promissio in sacris libris, quod ex-  
audiamur propter merita, uel intercessionem san-  
ctorum. Quare mens nunquam potest de hoc cer-  
tò statuere. Qui autem dubitat, ut ait Iacobus,  
utrum sit accepturus id, quod petit, is sciat se nihil  
accepturum esse. Et Paulus iubet orare sine hæsita-  
tione. Imò Christus in oratione requirit fidem.  
Quicquid, inquit, orantes pctitis, credite quòd  
accipietis. Nam ad præceptum & promissionem  
accedere debet fides, quæ certò assentiatur pro-  
missioni. Ideo Christus iubet nos, cum oramus,  
præfari de fide nostra, & Deum commonefacere  
de sua promissione, et paterna erga nos beneuo-  
lencia, promissa propter filium. Cum oratis, in-  
quit, sic dicetis. Pater noster, qui es in cœlis.

### Quæ est sententia?

Certa fide statuo, & profiteor me credere, te  
Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Chri-  
sti complecti nos, qui credimus in filium tuum, pa-  
terna beneuolencia, et propter eum uelle audire.  
Statim enim in exordio breuiter captamus pater-  
nam beneuolentiam, hac dulcissima compellatione  
PATRIS.

### Quare dicis, qui es in cœlis?

Hæc sententia discernit cœlestem patrem à  
terreno

## DE ORATIONE

terreno, & ipsius regnum, de quo paulò post pe-  
timus, adueniat regnum tuum, à regno mundi. De-  
inde exuscitat nos, ut cogitemus de patria nostra  
& hereditate cœlesti, & commonefacit nos de  
præsentibus miserijs, quibus hîc in terris subiecti  
sumus, & à quibus speramus nos liberari, ac fore  
olim cum patre nostro, in suo regno cœlesti. Et  
in summa, reddimus cœlestem patrem attentum,  
commemoratione cœlorum, & cœlestium bono-  
rum, quæ sumus petaturi.

### PRIMA PETITIO,

Quæ est sententia primæ  
petitionis :

SANCTIFICETVR NO-  
MEN TVVM?

PETIMVS ô pater noster, qui es in cœlis,  
ut nomen tuum paternum à nobis tuis filijs digna  
ueneratione celebretur, ut nostra confessione, &  
prædicatione ac sancta uita, omnes gentes inui-  
tentur ad fidem, & credant te esse patrem Domi-  
ni nostri Iesu Christi, & propter eum complecti  
miseros homines paterna beneuolentia, dare eis  
remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum,  
qui eorum mentes regenerat, ut possint esse filij  
tui,

tui, te uere timere, tibi confidere, te diligere, & te cum tuo filio Domino nostro Iesu Christo, ac Spiritu sancto, uera fide, confessione, prædicatione, inuocatione, & gratiarum actione glorificare, aufer idola, hæreses, scandala, & peccata, quibus nomen tuum contumelia afficitur.

## S E C V N D A P E T I T I O .

Quæ est sententia secundæ petitionis:

ADVENIAT REGNUM  
TVVM?

O PATER noster, qui es in coelis, petimus ut regnum tuum, & regnum filij tui, Domini nostri Iesu Christi, quod situm est in gratia, remissione peccatorum, donatione Spiritus sancti, pace conscientie cum Deo, et gaudio in Spiritu sancto, adueniat nobis in hac uita, & omnes homines in hoc tuum regnum, & in ecclesiam filij tui conueniant, erepti ex regno diaboli, & ab ipsius tyrannide, & tenebris ignorantie, & infidelitatis, à peccato & morte, & tandem in illud regnum glorie tue, resuscitatis corporibus, ad uitam eternam perueniant, accelera, & prope-  
ra, ut uenias ad iudicium, ne sophistica diaboli,  
per

## DE ORATIONE

*per quam idolomaniam & impia dogmata nunc excusat, decepti, & tyrannide impiorum, qui obtinent imperia mundi, ac scandalis offensi seducantur electi, & profugi fiant ex regno filij tui, ad castra inimicorum ipsius.*

### TERTIA PETITIO.

*Quæ est sententia tertiæ petitionis:*

FIAT VOLUNTAS TVA  
SICVT IN COELO ET  
IN TERRA?

*QVIA differis aduentum filij tui, & liberationem nostram, & sinis nos affligi & opprimi à mundo, cum propter peccata nostra, tum etiam ut fiamus conformes imaginis filij tui, fac ut nos subijcias uoluntati tuæ, & ut æquanimiter feramus ea, quæ tu uis nos pati, & ita tibi patri nostro cœlesti in omnibus obtemperemus, sicut angeli in cœlis tuæ obtemperant uoluntati, nec sinas nos sequi uoluntatem carnis, uiri, mundi, & diaboli.*

### QVARTA PETITIO.

*Quæ est sententia quartæ petitionis:*

*Panem*



PANEM NOSTRUM QUOTI-  
DIANVM DA NOBIS  
HODIE?

O PATER noster, qui es in cœlis, & das nobis cùm cœlestia, tum temporalia bona, conserua mentes nostras, & corpora nostra, ale animas nostras hodie, & quottidie cœlesti cibo uerbi tui, sicut iussisti nos postulare τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἡμέτερον, da nobis bonos doctores, qui uerbum tuum pure et perspicue doceant, uiuifica nos fide, & hanc ex quottidiana doctrina euangeliij sustenta in nobis, & confirma, sicut dixisti: Non in solo pane uiuit homo. sed ex omni uerbo, quod procedit de ore Dei, oculi nostri ad te respiciunt, quia tu imples omne animal benedictione. Aperi igitur manum tuam, & da nobis escã, ac benedicito donis tuis, ut illis alamur, & fruamur cum omni pietate & honestate, conserua nobis pacem publicam, reprime tyrannos, ac impios homines, qui dona tua nobis eripere uolunt, & arce furorem principis potentiaë aëris, id est, diaboli, qui fruges & fructus terræ & alia dona tua per tempestates corrumpere conatur.

QVINTA PETITIO.

Quis est sensus quintæ petitionis.

Et res

DE ORATIONE  
ET REMITTE NOBIS DEBITA  
NOSTRA, SICVT ET  
NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS  
NOSTRIS?

AGNOSCIMVS & CONFITEMUR NOS ESSE INDIGNOS, qui dicamur filij tui, filij cœlestis patris, cum simus carnales, carne & sanguine oppressi, & mereri, ut propter ingratitude[m], & grauiâ peccata contra te, exheredemur, sed quia credimus te nos, cum essemus impij & hostes tui, reconciliasse tibi per filium tuum, & non esse adoptatos propter merita nostra, petimus te patrem nostrum, ne uelis nos propter peccata nostra exheredare, & ut uelis nobis propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem collocasti ad dexteram tuam, ut pro nobis intercedat, & seruet nos ab ira tua, peccata nostra & pœnas pro illis debitas remittere, & ut corda nostra certa sint de hac paterna tua indulgentia. Petimus, ut facias nos ex corde ignoscere illis, qui nos offenderunt, quia proposuisti nobis hoc testimoniũ clementiæ tuæ, ut certo statuamus, te nobis remittere debita nostra, sicut nos remittimus debitoribus nostris.

SEXTA PETITIO.

Quæ est

Quæ est sententia sextæ  
petitionis:

ET NE NOS INDUCAS  
IN TENTATIONEM?

O COELESTIS pater, etsi certa fide statuamus, te propter filium tuum remisisse peccata nostra, tamen quia experti sumus, quanta sit infirmitas carnis nostræ, quanti sint furores mundi, quanta sit potentia diaboli, qui circumit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, nequaquam securi esse debemus, aut possumus: sed metuendum est, ne iterum labamur, & prouocemus iram tuam. Petimus igitur te ô celestis pater, ut cum oppugnamur & tentamur à carne nostra, à mundo, & Satana, adsis nobis cum consilio, & auxilio, nec permittas nos nostræ imbecillitati, ut opprimamur & uincamur, non sinas nos tentari supra id, quod perferre possumus, sed facias cum tentatione euentum & exitum, ac modum & finem tentationis, ut possimus sustinere.

SEPTIMA PETITIO.

Quæ est sententia septimæ  
petitionis:

I Sed

DE ORATIONE  
SED LIBERA NOS  
A MALO?

O coelestis pater cognoscimus non solum imbecillitatem nostram tantam esse, ut destituti tua ope non possimus resistere diabolo, sed etiam sentimus tam horribile esse ipsius potentiam, ut non sit potestas super terram, quæ illi conferri possit, ut Hiob seruus tuus pressus ingenti mole ærumnarum agnouit impossibile esse, ut ij, qui à Satana sunt decepti & uicti, liberentur ab ipsius tyrannide nisi tu eos ab ipsius potestate & faucibus eripueris. Petimus igitur te pater, ut propter filium tuum uelis reprimere potentiam diaboli, ne nos opprimat, ne animas & corpora nostra affligat & perdat, mitte sanctos angelos tuos, qui nos custodiant, imò tu ipse nos conserua, & sustentane ruamus, & ruentes ac lapsos erige, & libera à potestate Satana, peccato, morte, & omnibus malis corporalibus & spiritualibus, quibus ille malus nos affligit.

DE BONIS  
OPERIBVS.

Quæ sunt uerè bona opera?

Quæ

*Quae sunt diuinitus praecepta, & fiunt cum fide in Christum.*

### Vtrum bona opera sunt necessaria?

*Sunt. Et quidem non tantum externam disciplinam, sed etiam interiores motus in nobis inchoari oportet, timorem, fidem, amorem Dei, & proximi, patientiam, &c. Sicut Christus dicit: Nisi abundauerit uestra iusticia plusquam scribarum, & phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.*

### Quomodo inchoatur in nobis obedientia legis?

*Cum fides ad contritionem accessit, cum peccatum displicet, & cupimus Deo obedire per obseruationem legis.*

*Contrà. Bona opera fiunt à Spiritu sancto, per quem sumus liberati à lege, iuxta illud. Vbi est Spiritus Domini, ibi est libertas. Item. Iusto non est lex posita. Igitur bona opera non sunt opera legis?*

I 2 Spiritus

## DE BONIS

Spiritus sanctus monet per uerbum, quæ sint uerè bona opera, & oportet nos habere testimonium ex uerbo, quæ opera placeant Deo, ne decepti nostris bonis operibus, intentionibus, aut aliorum opinionibus, alia opera suscipiamus, quàm quæ diuinitus sunt præcepta. Deinde etsi lex non sit posita iusto, quantum ad accusationem, & condemnationem, tamen posita est ei, quatenus docet ipsum, quæ opera Deus postulet, & quatenus requirit obedientiam.

**Quomodo placet nostra obedientia, cùm sit imperfecta?**

*Cùm credimus propter Christum condonari nobis reliquam infirmitatem,*

**Est ne necessarium scire & docere nostram obedientiam esse imperfectam?**

*Est. Quia agnitio nostræ infirmitatis, eximit nobis fiduciam propriæ iusticiæ, inquit timorem, & excitat ad pœnitentiam.*

**Quare necesse est scire & docere, quòd imperfecta obedientia Deo placeat?**

Ne

Ne desperemus, ingens enim consolatio est, quòd pij in tanta infirmitate, norunt certò statuendum esse, quòd eorum opera placeant propter Christum.

Cùm bona opera non iustificent  
quæ est ergo necessitas, aut  
utilitas bonorũ operum?

Triples est necessitas. Prima, quia Deus mandavit, ut obediamus.

Altera, quia non potest fides existere in his, qui non agunt pœnitentiam.

Tertia quia fides extinguitur, si non exercetur in inuocatione, afflictione, & alijs bonis operibus.

Utilitas autem est, quia piorum opera habent præmia corporalia et spiritualia, & in hac uita, & in æterna. Sicut Christus ait: Centuplum in hac uita accipiet, & uitam æternam possidebit.

Dictum est quomodo gratia accipiatur scilicet per fidem, & retineatur per fidei exercitia in bonis operibus, quomodo ergo amittitur, & utrum per quælibet peccata?

I 3 Duplicia

## DE BONIS

Duplicia sunt peccata in renatis. Quaedam sunt uenialia, quæ sunt uitiosi affectus, quibus tamen pij non obtemperant, sed repugnant, & credunt sibi illa condonari propter fidem in Christum. Hæc peccata non excutiunt fidem, & Spiritum sanctum. Alia sunt peccata mortalia, scilicet, quando homines non repugnant prauis cupiditatibus, sed obtemperant contra conscientiam, hoc est, scientes & uolentes. Hæc peccata excutiunt fidem & Spiritum sanctum. Sicut Paulus inquit: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Item Si Spiritus Christi in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum. Et Iohannes inquit, Qui est ex Deo non peccat, et Christus ad Iudeos dicit, Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris uestri uultis facere, & autor libri sapientie, Spiritus domini fugit ab Hypocrita, nec habitabit in corpore obnoxio peccatis.

### Sunt ne peccata uenialia leuia mala?

Non sunt leues morbi, dubitatio de ira & misericordia dei, securitas, diffidentia, & concupiscentia cum suis fructibus re ipsa est mortale peccatum, in non renatis, ideo pij hos morbos debent agnoscere, & non extenuare. Sed perhorrescere cum



re cum Paulo, qui ait: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore damnato ad mortem. Rur-  
sus debent se etiam fide erigere, & credere, hæc  
ipsis ignosci propter Christum, Sicut eodem loco  
Paulus ait. Gratia autem Deo, qui dedit nobis vi-  
ctoriam per Iesum Christum.

## DE SACRAMENTIS.

### Quid est sacramentum?

**P**AULVS definit esse sigillum iusticiæ fi-  
dei, ad Rom. 4. Simplex & puerilis descri-  
ptio est: Sacramentū est ceremonia in euan-  
gelio instituta ad significandam gratiam & re-  
missionem peccatorum ei, qui credit promissioni  
additæ sacramento siue ceremoniæ.

### Quot sunt sacramenta?

Augustinus ad Ianua. tantum duo enumerat scilicet  
baptismum & coenam domini, quibus alij addunt  
absolutionem. Alij quatuor alias ceremonias,  
scilicet confirmationem, ordinem, matrimoni-  
um, & extremam unctionem. Verum duobus pri-  
mis conuenit tantum definitio sacramenti.

I 4 Proba

## DE SACRAMENTIS,

### Proba.

Quia absolutio non habet specialem ceremoniam, & est tantum recordatio baptismi, in quo promissimus perpetuam poenitentiam, & mortificationem. Matrimonium, extrema unctio, non sunt ceremonie noui testamenti, primum à Christo institutæ in euangelio, nec habent promissionem remissionis peccatorum. possunt tamen dici sacramenta, id est, signa sacrarum rerum, ut uideamus λογισμῶν de numero sacramentorum.

## DE BAPTISMO

### Quid significat baptismus?

Vocabulum significat ablutionem. Ceremonia exterior significat animam abluere à peccato per sanguinem Christi.

### Quid est baptismus?

Est ablutio hominis in aqua, cum his uerbis: **EGO** te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

### Vbi instituit Christus baptismum?

Matthæi ultimo: Euntes, docete omnes gentes, baptizate

baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.

**Q**uæ est sententia horum uerborum?

EGO TE BAPTIZO, &c.

Id est, Ego mandato diuino testificor, quod pater, filius, & Spiritus sanctus, unus uerus Deus recipiat te in gratiam. Et sic uult agnosci, & inuocari, quod propter filium te recipiat, & Spiritu sancto te sanctificet.

**Q**ui sunt effectus baptismi?

Remissio peccatorum, & donatio Spiritus sancti.

**V**bi extat promissio?

Marci ultimo. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Opponens. Igitur pueri non sunt baptizandi, quia non credunt.

Respondens. Vnde scis, quod pueri non credunt?

Opponens. Quia Paulus ait: Fides est ex auditu.

I S Respon

## DE BAPTISMO.

Respondens. Et tamen Elizabeth testatur uocem Mariæ penetrasse ad aures & animum pueri, in utero, cum inquit: Vt facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exaltauit præ gaudio infans in utero meo. Quare manifestum est uocem euangelij efficacem esse in pueris.

## DE COENA DOMINI.

### Quid est coena Domini?

Est ceremonia à Christo instituta ad significandum, quòd Christus suum corpus tradidit, & suum sanguinem effudit in remissionem peccatorum ipsius, qui hanc ceremoniam fide accipit.

### Quid significat coena Domini?

Primò significat remissionem peccatorum.

Deinde quòd fide accipiente remissionem peccatorum incorporemur Christo, & efficiamur membra ecclesiae.

Tertiò mutuum inter nos communicantes, quibus Christi beneficia sunt communia, amorem, & unam eorum rempublicam uel communitatem uel communionem.

Quarto

Quarto ipsam professionem doctrinae ante communionem praedicatæ. Nam in primitiua ecclesia sacerdos dicebat, ut ij, qui credidissent praedicationi, accederent ad communionem, & testarentur suam fidem. Atq; utinam de hac significatione nunc admoneretur populus. Nam si cum illa fide, quam ex recens praedicatione uerbo concipiunt & feruore fidei accederent, & statuerent illam ipsam esse doctrinam, pro qua Christus passus est, & propter quam ipsis, si deus ita uelit, pati oportet, multo melius praeparati, & dignius perciperent sacramentum, quam illis uiolentis & coactis praeparationibus, confessione auriculari, & enumeratione peccatorum.

Postremo, ut sicut Christus animam suam pro nobis posuit, ita nos debeamus pro fratribus animas ponere.

### Vtrum utendum est utraq; specie sacramenti?

Omnino, si modo utraq; permittitur.

#### Proba.

Probo ex institutione, et uerbis coenae Domini:  
BIBITE ex hoc omnes.

Sed

## DE MISSA

Sed in coena affuerunt soli apo-  
stoli, sicut Euangelista ait: Et fa-  
cta uespera discumbebat  
cum duodecim.

Paulus cum scribit ad totam ecclesiam Corin-  
thiacam, & omnes ordines, recitat mandatum  
uniuersale: Bibite ex eo omnes. Igitur manife-  
stum est, hanc uocem ad omnes communicantes  
in ecclesia pertinere, & non ad solos sacerdotes.

## DE MISSA.

Quid dicis de missa?

Pharisaicus error est affirmare missam esse sa-  
crificium, quod ex opere operato mereatur re-  
missionem peccatorum, nec extat mandatū, quod  
debeat offerri pro uiuis ac mortuis. Nec propte-  
rea hoc sacramentum est institutum, ut uerba coe-  
nae testantur, sed ut communicantes ad memori-  
am reuocent mortem Domini, & ad se applicent  
ipsius beneficia.

Nihil ne dicis de alijs v. sacra-  
mentis. Nam aliqui etiam ex no-  
stris

stris ordinem & absolutionem  
inter sacramenta collocant?

Fateor absolutionem & ordinem esse eiusmodi ceremonias, quas prodest retinere in ecclesia. Sed ego hactenus de sacramentis propriè dictis locutus sum, quæ duo tantum esse Augustinus ad Ianuarium affirmat cap. i. scilicet baptismum & cœnam Domini.

## DE POENITENTIA.

Quid dicis de poenitentia?

Poenitentia est commemoratio baptismi.

Quomodo?

In baptismo affirmamus nos detestari peccata, et promittimus mortificationem ueteris hominis, communiter uocant abrenunciationem Satanae, & operum ipsius.

Deinde interrogati de symbolo, & an credamus remissionem peccatorum nos accipere propter Christum. Respondemus: CREDO.

Vt uideo duas facis partes poenitentiae, contritionem & fidem, quid igitur dicis de confessione & satisfactione?

Confessio

## DE POENITENTIA

Confessio, qua coram Deo agnoscimus peccata, necessaria est. Item confessio, qua deprecamur offensas à fratribus: præterea confessio manifestorum criminum, iuxta præceptum ecclesie publica uel priuata. Postremo confessio auricularis utilis est, cum propter alias causas, tum etiã propter explorationem & absolutionem. Sed enumeratio occultorum peccatorum non est necessaria.

### Quæ est utilitas absolutionis?

Minister ecclesie applicat in absolutione promissionem euangelij ad personam confitentem, sicut in baptismo ad infantem.

### Sed ubi extat præceptum, aut promissio huius applicationis in absolutione?

Christus clare ait: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hæc uerba pertinere ad remissionem peccatorum, quæ homines post baptismum admittunt, clare testantur illa, quæ apud Matthæum cap. 18. præcesserunt. Quoties peccabit in me frater meus, et remittam ei. Item: Non dico tibi septies, sed septuagies septies. Item: Si non audierit ecclesiam, sit tibi uelut ethnicus & publicanus.



publicanus. Ergo cum audit ecclesiam, est agnos-  
cendus pro fratre. Et exemplum excommunica-  
tionis est in priore ad Corinthios, & absolutio-  
nis in posteriore. Hæc tamen sic accipi uelim, q̄  
prohem absolutionem priuatam, & nihilominus  
nullum adigi cupiam ad confessionem occultorum  
peccatorum. Neq; enim reprehendo ordinatio-  
nem ecclesiarum, in quibus ij, qui non sunt obno-  
xij, manifestis peccatis, generali confessione &  
absolutione dicta in communi ad omnes, sunt con-  
tenti ante communionem.

Credendum igitur est uerbis ab-  
solutionis, sicut uerbis ba-  
ptismi, aut coenæ Do-  
mini.

Promissio, quæcunq; solueritis super terram,  
erunt soluta & in cœlis, fide accipitur, in fide ac-  
cipiente promissionem corda pacificantur.

**Q**uid dicis de satisfactione?

Vna est satisfactio pro omnibus omnium cre-  
dentium peccatis. Sicut Ioannes ait: Si quis pec-  
cauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum  
Christum, iustum, et ipse est propitiatio pro pec-  
catis nostris.

Quare

## DE POENITENTIA.

Quare igitur Deus punit peccata corporalibus pœnis, ut Dauid punitur etiam postquam audiuit à propheta. Non morieris, transtulit dominus peccatū tuū?

*Publica peccata, quæ lædunt gloriam Dei, & offendunt ecclesiam, puniuntur manifestis pœnis propter exemplum, & ut satisfiat ecclesie offense. Sed hæ pœnæ non sunt satisfactiones pro culpa, nec placant iram Dei, nec merentur remissionem æternarum aut temporalium pœnarum post hanc uitam.*

## DE CONFIRMATIONE.

Quid uerò de Confirmatione?

*Confirmatio est ceremonia, qua per impositionem manuum datur Spiritus sancti gratia, illis, qui agnoscunt se baptizatos esse in Christo, ut doctrinam fidei constanter profiteantur.*

Proba.

*Probo ex actis cap. 8. Tunc imponebant illis manus.*

## DE CONFIRM.

manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Et ca.  
19. Et cum imposuisset illis manus, uenit Spiritus  
sanctus super eos. Et ad Ro. Desidero uos uidere,  
ut impertiar uobis  $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\sigma\mu\alpha\ \tau\omega\ \delta\upsilon\mu\acute{\alpha}\lambda\upsilon\kappa\omicron\upsilon\sigma$ , quo  
confirmemini. 2. Timoth. 1. Quam ob caussam te  
hortor, ut excites donum Dei, quod in te est per  
impositionem manuum mearum. Non enim dedit  
nobis Spiritum timiditatis, sed fortitudinis, ac  
dilectionis, ac sobrietatis. Ne igitur pudeat te  
testimonij Domini nostri, neq; pudeat te mei, qui  
sum uinctus illius, sed esto particeps afflictionum  
euangelij. Hic Paulus manifestè loquitur de dono  
fortitudinis.

### Vnde igitur uenit consuetudo confirmandi infantes chrismate?

Ex falsa persuasione, qualis est illa, quæ est in  
decretali epistola. Nec poterit aliquis esse Chri-  
stianus, qui non fuerit sacro chrismate perunctus.

Contrà: Basilius in libro de Spi-  
ritu sancto meminit chrismatis,

### Igitur pueri sunt chrismate liniendi?

Respondeo libros de Spiritu sancto contra

K Eu.

## DE CONFIR.

Eunomium esse Basiliij, sed illum alterum de Spiritu sancto, esse rapsodiam quandam, consutam ex dictis multorum, nec omnia in eo referre sty- lum uel Spiritum Basiliij, sicut Erasmus manifestis probat argumentis, sumptis ex illo libro, in epistola, quam præfixit Latine uersioni. Et quis ferat illud in eo libro, confessionem sanctæ trinitatis non posse ex sacris literis probari, & ἄρχαφᾶ conferenda esse cum ἑγγαφᾶς, ac tanti faciendam esse ceremoniam uersa facie ad orientem, & sine genu flexione inter pascha & pentecosten orandi, sicut articulos fidei?

Sed obseruanda ne est ceremonia confirmationis cum impositione manuum?

Omnino obseruanda est, si præcedat catechesis, id est, institutio, & confessio fidei propriæ, propter quam principaliter est instituta. Nam patrimi hac ratione liberantur sponsione facta in baptismo pro infantibus, & baptizati obediunt doctrine Pauli. Ore fit confessio ad salutem. Et nihil dubium est, confitentes fidem cum impositione manuum accipere donum fortitudinis, quo maiori constantia fidem profiteantur.


F I N I S.






Cum purissima et optima pars spiritus humani se  
 sempiterni & filii dei principalis est hinc alas  
 que donum spiritus s. in baptismo accepit ut  
 iam de deo & redemptore nostro Jesu Christo doctrinam suam  
 iose discit et cupit mente simpliciter ac pura fide de  
 inuolaculo, & alacritate hinc corde probentis acceptis.  
 De gratias agit, atq; in studiis & reliquis uita partibus  
 mandata officia exequens Deo et parentibus ac prae  
 sidentibus suis reuerenter obaudit. Debitum non est qd  
 Deo hinc prima obaudi studia, inuocatio, obedientia et  
 laudes magnopere Deo placeant, hinc hinc in partem  
 gloria ornatur ab ipso & Christo hinc sua uisitatione uerbis:  
 "In te paruulus a d. me uenit, tabernaculum enim est regnum  
 coelorum. Item non est uoluntas patris, uel filii, uel hominis  
 uel de paruulis qd non uult. Item nichil in uerbo  
 fuerit & factum sicut paruulus non negat in uerbo  
 uel in re. Item ex ore infantium et lactentium profertur  
 laus tua. Dulcissima consolatio hinc est, quod sciamus  
 fuerit et uisitationes hinc coelestis deo placeant, hinc  
 qd deus uult uocari inuocari, & confessionem peccatorum  
 celebrari, quod dicitur tam in parte quam a dulcis studi  
 um dicitur, uel ipse sedulas uisitationes scholasticas publicas in  
 qd proponit uera et sana doctrina, charitas et diligenter  
 exerceat, fide inuocatio, confitio & gratias Deo dicit  
 Deus hinc laudem sonare in uerbo scholasticis. Ita uisitatione  
 a uisitatione hinc uisitatione studium, uel factum de deo & de  
 et uisitatione in dea coelestis, solum et paruulus ad laudem gratias  
 f. hinc et pariter uisitatione et omnia uisitatione hinc uisitatione  
 et hinc uisitatione hinc laudem hinc et hinc uisitatione hinc uisitatione  
 cum adultis hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione  
 uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione

*[Handwritten signature or initials in blue ink]*







B.I.G.

Farbkarte #13

EPITOME  
EXPOSITI  
TIONIS CATECHIS  
MI D. PHILIPPI MELANTH.  
RELATA AD INTERRO  
GATIONES ET RE  
SPONSIONES,

*VT VERESIT ID*  
quod dicitur CATECHESIS: cui addita est  
expositio symboli, & orationis dominicae,  
ut nihil, quod ad iustam formam Ca  
techismi pertinere uideatur,  
desiderari possit,

Ab Alexandro Alesio,  
S. Theologiae Doct.

Iam denuo recognita, multisq; in locis aucta,  
una cum Praefatione ab ipso  
Authore addita.

FRANCOFORTI AD VIADRUM  
ex officina Ioannis Eichorn.

M. D. LI.

